VOLVMEN QVARTVM.

DE TRADITIONIBVS SACRIS,

AD ILL.mi ET R.mi CARDINALEM ZAPATA,
Neapolis Regni purpuratum pro Regem;

AVCTORE

Fr. Antonio Perez Monacho Benedictino.

Cum duplici indice rerum notabilium, & verborum Scripturæ sacræ.





CVM PRIVILEGIO.

MATRITI.

APVD VIDVAM ILDEPHONSI MARTIN.

Anno M. DC. XX.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D. ANTONIO ZAPATA, S. R. E. CARDINALI

Dignissimo, atque Regnorum Hispaniæ apud Apostolicam Sedem Apostolico Protectori, & à summis supremisque vniuersorum Regnorum Catholici Regis Consilijs, Regio vniuersaliquè Consiliario, nouissimè autem splendidissimi Neapolis Regni purpurato atque præoptato Proregi, &c.

Fr. Antonius Perez Salutem.



OMNIA Pulcra ac decora tibi, PRINCEPS ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME, dum iure volo ac voueo, diuinarum Traditionum agmen tuo nomini sacratū defero. Scio enim Atticum Atticis oblectari; id est, te Apostolicum Heroē, summo loco natum & altum, summoque genio & ingenio insignitū; & ad summas vsque sedes euectum, summis perinde Heroum, vtique Apostolorum Christi, monumentis summè gauisurum. Traditiones enim diuinę oracula illa sunt, quæ verè tāquam oracula, non quidem scripto ac per manus, sed ab ore in os traducuntur; vtique ab ore Dei in Apostolorum ora, & inde in vniuersorum fidelium. Exemplo tibi sint encomia, quibus te in omnibus (& maximè in illis quæ ad prudentiam, iustitiam, & in pauperes munificientiam spectant) omnes quas Episcopus & Archiepiscopus Ecclesias gubernasti, solemni acclamatione decātant, & in omnium aures transmittūt. Id enim propriè Traditionum est: & tibi nō impropriè aptatum: nam qui tibi germinauit iustitiam, germinauit & laudem coram vniuersis gentibus. Accipe igitur, Illustrissime ac Reuerendissime Cardinalis, hæc qualiacumq; voluntatis meæ specimina, qui (pro tuæ indolis alacritate plane Angelica) tot præconiorum Hispaniæ, Italiæque argumenta vidisti: maioraque (Deo dante) videbis in nouissimo Proregnatus ingressu, progressu, & exitu; vtinam fœlicissimis vsque ad Petri cathedram culmenque. Vale.

VOLV-



VOLVMEN DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS.

PROOEMIVM OPERIS.

VOlumen de traditionibus Apostolicis infit, adeô dignitate eximium, vt dicat Tertul. a *Certè prior anima, quàm litera: & animal, prior sermo quā liber, & prior sensus, quā styllus: & prior homo ipse, quam Phylosophus*. Id est, traditiones libris omnibus (ita Pamelius ibi) & scripturis anteriores sunt. Præstant igitur traditiones antiquitate scripturis: imò & vtilitate quodammodo præstant; quatenus (vt ex Ignatio, & Tertul. obseruauit eruditissimus Melchior Canus b) scripturæ facillimê in varios sensus detorquentur; traditiones autem non sic. Quare ad reuincēdos hæreticos validissimæ sunt, & propterea illis vehementer displicent, adeò vt inficientiur eis vt mox videbimus.

a *Lib. de testim. animal. cap. 5. n. 24.*

b *Lib. 3. de locis cap. 3. post med.*

PARS PRIOR.

Vtrùm traditiones aliquæ intra reuellatam doctrinam agnoscendæ, atque necessariò recipiendæ, sint tanquam eloquia diuina & verbum Dei?

SVMMARIVM.

1 *Quid sit traditio Ecclesiastica?*
2 *Antiquiores hæretici negant Ecclesiasticas traditiones.*
3 *Lutherus adhæret veteribus.*
4 *Sequuntur Lutherum hæretici, neoterici.*
5 *Insinuantur eorum argumenta.*
6 *Prima argumentorum cohors ex scriptura sacra.*
7 *Conantur hæretici non esse verbum Catholicum quod non sit scriptum.*

aaa Argum-

SVMMARIVM.

8 Arguuntur ab hæreticis Ecclesiastice traditiones ex Psalmo 18.

9 Sapientia præstatur paruulis per scripturas, prouectioribus per traditiones.

10 Arguitur contra traditiones ex Lucæ primo.

11 Responsio & replica in idipsum.

12 Item ex Ioannis 20.

13 Solutio & replica aduersariorum.

14 Arguitur ex 2. ad Timoth. 2. quod omnia ad salutem necessaria cōtineantur in Biblijs.

15 Solutio nr̄a & instātia hæreticorū.

16 Item est argumētum ex 1. Ioan. 1.

17 Replica in idipsum.

18 Secunda argumentorum series: qua aduersarij impugnant traditiones sacras, desumitur ex Patribus; & primo ex Irenæo.

19 Conuertitur Irenæi mens.

20 Adducunt pro se hæretici Originē

21 Instant pro eodem.

22 Instant ex testimonio Constantini Magni.

23 Item ex Athanasio.

24 Item ex Basilio.

25 Adhuc ex eodem Basilio.

26 Sexta authoritas ex Chrysostomo.

27 Adhuc ex ipso.

28 Septima ex Epiphanio.

29 Eadem quæ in numero præcedenti.

30 Octaua ex Cyrillo.

31 Nono ex ipso arguitur.

32 Occurritur ex Theophylacto: & occursus obstruitur.

33 Arguitur decimo ex Apollinario.

34 Arguitur 11. ex Tertulliano.

35 Arg. 12. ex Cypriano.

36 Occurritur argumento: sed infringitur occursus.

37 Arg. 13. ex Hieronymo.

38 Occurritur Hieronymo, sed redarguitur occursus.

39 Arg. 14. ex August.

40 Occurritur argumento, sed occursus refellitur.

41 Argumenta desumpta ex ratione: & primū ex eo, quod Iudæi traditiones non agnouerunt.

42 Confirmatio eiusdem argumenti.

44 Secundo arguitur contra traditiones, ex earum incertitudine.

44 Tertio ex perfectione sacræ scripturæ, quæ omnia necessaria ad fidem & mores complectitur.

45 Confirmatio eiusdem argumenti.

46 Quarto ab inconuenienti, ne fabulosis traditionibus aditus pateat.

47 Confirmatur idem inconueniens.

48 Quinto arguitur ex occulta & pene ignota traditionum notitia.

49 Cōfirmatur præcedens argumentū.

50 Ostendūtur traditiones diuinæ ex literis sacris; & primò ex Ioan.

51 Confirmatur ratio desumpta ex authoritate præcedenti.

52 Secunda confirmatio eiusdem.

53 Tertia confirmatio aduersus tertiū aduersariorum effugium.

54 Quarta & vltima aduersus quartum asylum hæreticorum.

55 Comprobatur veritas catholica sacrarū traditionū ex 1. Cor. 11. vsque ad num. 58. exclusiue.

56 Traditiones diuinæ erga necessaria

57 Occurritur argumento & effugium obstruitur.

58 Item ex eodem capite, versu 23. vsque ad numerum 60.

59 Obijcitur contra prædicta, & obiectio diluitur.

60 Quid apud Græcos ly Diatoxomai

61 Obijcitur contra prædicta.

62 Occurritur obiectioni.

63 Quisnā gratia aut scientia plenus?

64 Cur dicantur Corinthi pleni omni scientia & verbo.

65 Apud Corinthios omnis Christianæ doctrinæ scientia vigebat, at non apud singulos.

66 Fulcitur traditionum veritas ex eadē sacra pagin. 2. ad Thessal. 2.

67 Astruitur mens Pauli cōtra varias hæreticorum calūnias, vsq; ad num. 68. inclusiue.

Plura ex scitu dignissima verbo tenus, quàm scripto tradita.

Non

Quare

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus quæstionis, & partis negatiuæ authores sectatoresque referuntur.

1 *Quid sit traditio Ecclesiastica?*



PRimo in limine explicandum est, quid nominis sit traditio. Pro quo notandum est quod ly traditio communiter, & generaliter est idem quod doctrina viua voce tradita, iuxta illud Quintiliani dicentis, *Ieiunam & nudam traditionẽ* (hoc est doctrinam insulsè eructatam) *auertere animos, & aures ipsas radere: eam verò quæ nitore, & lepore aliquo fulget, & iucundè profertur maximè allicere, voluptatemque ingenerare.* Deinde aduertendum, quod in præsentiarum ly traditio significat doctrinam catholicam ab aliquo ministro sacro eructatam assertam atque edoctam, non tamen literis sacris commendatam, sed ab ore in os vsque in præsens aductam. Veluti cum Deut. 32. *a* dicitur, *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Quare quod inquirimus est, an sit aliqua doctrina sacra extra literas sacras, & aliquod verbum Dei extra sacras scripturas?

Antiquiores hæretici negant ecclesiasticas traditiones.

2 Sic autem explicatæ quæstionis negatiuam partem protestati sunt procaciter hæreticorum quam plures, maximè Saducæi apud Ioseph, *b* Paulus Samosetanus apud Eusebium, *c* Arriani apud August. *d* Macedoniani, & Eunomiani apud Athanas. *e* Pellagiani apud August. *f* Nestorius Eutiches, & Dioscorus apud Cyrillum, *g* & apud septimam synodum generalem.

Lutherus adhæret veteribus.

3 Potissimè tamen, ac petulantissimè hanc negatiuam partem professus, ac mordicus tutatus est Martinus Lutherus, dicens aduersus Regem Angliæ. *Ego aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum pono, non antiquum consensum, non multitudinem hominum, sed vnius maiestatis æternæ verbum euangelicum, quod ipsimet tenentur probare. hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto, Papistis, Thomistis, Henricistis, & omnibus portis infert.* Et ad Galat. 1. *h* *Neque alia doctrina in Ecclesia tradit, & audiri debet quàm purum verbum Dei.*

Sequuntur Lutherum hæretici neotherici.

4 Luthero adhæserunt Petrus Martyr, Brentius, Kemnitius, & alij quos, ne infinitus sim, reticebo: horum enim omnium concors vesania est, non aliam præter scripturam esse doctrinam sacram.

Insinuatur eorũ argumẽta.

5 Argumenta horum omnium varia, licet vana sunt, quæ per tria sequentia capita referemus ex scripturis, ex Patribus, & ex ratiocinationibus: & postea, (si Deo placet) leuissimo calamo dissoluemus.

a Deut. 32. 7.
b Lib. 3. antiq. c. 18.
c Lib. 2. hist. ca. 24.
d Lib. contra Maximum.
e Lib. 3. de Trinitate.
f Lib. de natura & gratia cap. 39.
g In actis synodi Ephesinæ.
h Galat. 1.

CAPVT SECVNDVM.

Prima argumẽtorũ cohors ex scriptura sacra.

Argumenta ex scripturis extorta ad expugnandas catholicas traditiones.



6 Riplicem argumentorum cohortem pro parte sua instruunt hæreticissimi isti, quarum prima ex scripturis abducitur has igneas intorquens glandes.

a Deut 4.2. Deut. 12. 32.

Conantur hæretici non esse verbum catholicũ quod nõ est scriptum.

In primis constituitur, *a Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque auferetis ex eo.* Cum ergo verbum illud scriptura sit, consequens est, extra sacram scripturam nullum extare verbum Dei.

7 Quod si retundere velimus tellum eum Bellarm. *b* dicentes ibi mentionem non fieri de verbo scripto, sed tantum de præcepto, quod indifferens est ad scriptum, & non scriptũ. Obijciunt primò August. *c* & Basilium, *d* expressis verbis interpretantes prædictum elogium de his, quæ præcepta sunt in scripturis legalibus, & Euangelicis. Secundo locum Iosue *e* vbi iubetur Iosue facere quæ Dominus præceperat ei, & proximè subijcitur. *Non discedet liber iste ab ore tuo, &c.* Vtique ad insinuandum idem esse ly, *quod ego præcipio tibi*, & ly quod ego præcipio tibi in libro legis.

b Lib.4. de verb. Dei nõ scripto c. 10.
c Libr. 3. contra epist. Petilia. c. 6
d In summa morali, summ. 72. c. 1.
e Iosue 1. vers. 7
f Psalm. 18.8.

Arguuntur abhæreticis ecclesiasticæ traditiones ex Psal. 18

8 Deinde dicitur, *f Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.* Igitur ad erudiendos nos, & in moribus componendos opus traditionibus non est, siquidem lex scripta vtrumque cumulatissimè præstat, vtique vetus testamentum, & nouum.

9 Quod si respondeamus his tantum haberi, quod paruulis, hoc est nouitijs, & tyronibus, sapientia per scripturas præstatur, non verò prouectioribus. Replicant quod per ly paruulis veniunt intelligendi vniuersi Christi fideles, qui humilitatis causa sic se demittunt, propter illud Christi Domini verbum, *g Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum, &c.*

g Matth. 18. 3.
h Luc. 1. v. 3.

Sapientia præstatur paruulis per scripturas, prouectiorib' per traditiones.

10 Tertio Lucas dirigens Euangelium suum Theophilo ita dixit: *h Visum est mihi scribere, o Theophile,* (vtique Euangelium) *vt cognoscas eorum verborum quibus eruditus es, veritatem.* Igitur veritatis cognitio omnino à scripturis dependet, & proinde non à traditionibus: alias Lucæ Euangelistæ discursus, & ratio quam assignauit pro causa scribendi Euangeliũ, nec pilum valeret.

Arguitur contra traditiones, ex Lucæ 1.

11 Quod si respondeamus illis consilium Euangelistæ fuisse suppeditare Theophilo, non qualemcumque fidei cognitionem, sed cumulatissimam, & eximiam, qualis publicum doctorem decebat, quoniam cum Theophilus ipse iam esset fidelis, certam proculdubio de fidei rebus cognitionem habebat. Si igitur hoc respõdeamus eis, replicant, quod Theophilus ex hoc quod Christianus esset, tantùm deducitur quod fidei assensum præstaret, & quod per omnia crederet, non verò quod intelligeret: nam fides assensum firmum, & stabilem importat, non verò cognitionem. Cognitio igitur credendorum ex scripturis pendet.

i Ioan. 20. v. 31.
k Vbi sup.

Responsio & replica in id ipsum

12 Quartò Ioannis 20. *i* legimus. *Hæc scripta sunt, vt credatis quod Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Igitur scripta sufficiunt ad vitam Christianè, beatèque degendam, & proinde alia non scripta sed ore tenus tradita necessaria non sunt.

Item ex Ioan. 20

13 Quod si respondeamus cum Bellar. *k* elogium illud procedere non quidem de dogmatibus fidei, aut de doctrina morum, sed tantùm de signis miraculorum à Christo Domino factis, & in actis ab Euangelista positis pro commendanda, & roboranda fide: vt patet ex contextu dicente, *multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, vt credatis,* &c. Si igitur id respondeamus obijciunt August. *l* & Cyrillum, *m* qui interpretantes huiusmodi oraculum dicunt, sensum eius esse quod ex omnibus, quæ fecit Christus, ac dixit,

l Tract. 49. in Ioan.
m Libr. 12. in Ioan. cap. vlt.
n Ad Tim. 2.

Solutio & replica aduersariorum.

ea

Arg. ex 2. ad Timoth. 2. quodom nia ad salutem necessaria cōtineātur in biblijs.

ea tantū scripturis mādata sunt, quæ ad salutē credentiū sufficere videbātur. a 2. Ad Tim. 3. 16

14 Quinto in secunda ad Timot. a dicitur *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ergo cum summa hic totius Christianitatis comprehendatur, sequitur, quod omnia necessaria ad salutem Biblia sacra ministrent.

Solutio nostra, & instantia hæreticorum

15 Quod si respondeamus, ex hoc loco nihil haberi, aut etiam concludi quamlibet scripturæ partem sufficere ad omnia prædicta: siquidem de qualibet verificatur quod sit sacra Scriptura diuinitus reuelata, de qua Paulus omnes illos affirmauit effectus; & proinde omnes sacræ Scripturæ libros præter vnumquemlibet illorum superfluos esse: si igitur id respondeamus replicant, quod in præfato elogio ly *omnis* significat idem quod tota, ita vt sit nota, & signum vniuersale: eo quod de tota, & sola sacræ Scripturæ compage potuit proferre Paulus, quod hominem perfectum produceret; siquidē ipse alibi hoc negauit de lege, dicens, quod neminem ad perfectum adduxit. Hebr. 7. 19.

Item est arg. ex 1. Ioan. 1.

16 Denique 1. Ioan. a testatum habemus. *Hæc scribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.* Igitur extra sacras Scripturas nihil restat desiderandum, quo nos plenè imbuamur in fide: quoniam alias quantumcumque sacræ Scripturæ suppeterent, pleno gaudio nos non perfunderent, vtpotè quæ non sufficiunt instruere nos de omnibus ad fidem requisitis. a 1. Ioan. 1. v. 4

Replica in id ipsum.

17 Quod si respondeamus. Apolum hic non loqui de omnibus scripturis sacris, sed tantùm de illa epistola quam literis tunc exprimebat, & proin de non fuisse loquutum de plenitudine gaudij consurgente ex adæquata doctrina, sed de illo genere fruendi tali epistola. Si igitur id respondeamus obijcient priora verba epistolæ, quæ sic habent. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, hoc annunciamus vobis:* quibus adiungendo sequentia, videlicet, *hæc scribimus vobis, &c.* inferunt sensum Apostoli esse, quæ sacri omnes scriptores vidimus, & audiuimus reuelatæ doctrinæ, non tantùm annunciamus vobis, sed scripto docemus. Ergo de omni sacra Scriptura deque pleno, & perfecto gaudio, quod potest in hac vita haberi ex comparatione doctrinæ requisitæ ad salutem loquutus fuit hic Ioannes.

Secunda argumētorum series qua aduersarij impugnāt traditiones sacras de sumitur ex Patribus, & primum ex Irenæo.

CAPVT TERTIVM.

Argumenta ex Patrum elogijs contra traditiones diuinas.

18 SEcunda argumentorum acies, quam præfati hostes in campum, & impugnam producunt, ex sanctorum Patrum thesauris apothecisque corrasa sunt: nam in primis primo loco inducunt Irenæum a dicentem, *illud Euangelium quod prius Apostoli præconiauerunt, postea nobis in scripturis tradiderunt.* Igitur sicut omnia cognitu necessaria præconiauerunt, ita etiam omnia cognitu necessaria scripserunt. a Lib. 3. contra hæreses, cap. 1.

Controuertitur Irinæi mens.

19 Quod si respondeamus, ad veritatem propositionis, prout in originali habetur, non opus esse, quod omnia prius prædicata postea fuerint literis excussa, sed tantùm aliqua ex illis: sicut ad veritatem illius verbi, b *quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*, satis est, nihil esse testatū quod prius non fuerit visum: non autem omnia & singula prius visa, testimonio postea tradita esse. Si igitur id respondeamus, replicant in rebus necessarijs b Ioann. 3.

pro-

propositiones carentes signo vniuersali æquipollere vniuersalibus; vt patet in istis homo est animal, corpus viuens, &c. Cùm igitur necessaria sit propositio hæc Irenæi, videlicet, quæ prius Apostoli præconiauerunt posteà literis exararũt, sequitur æquipollere huic vniuersali, omnia, quæ Apostoli prædicauerunt posteà literis exararunt: & proinde omnia necessaria scitu in scripturis esse signata.

20 Deinde obijciunt Origenem c dicentem, enarrationes sine testimonijs sacræ Scripturæ fidem non habere. Cùm igitur traditiones narrationes sint, sequitur, quod citra literas sacras non faciunt fidem. *Adducũt pro se hæretici Orig.*

c *Hom. 3. in Hierem. & sup. cap. 3 epist. ad Rom.*

21 Quod si respondeas, Originem loquutum fuisse de humanis narrationibus tantùm: contra obijciunt, saltem sequi, quod traditiones apud Origenem non habuerint pondus testimonij diuini, aut saltem quod eas non agnouerit: quoniam alias non omnem solidæ authoritatis rationem in solas scripturas refunderet, neque illis solis tribueret nostris humanis rationibus fidem conciliare. *Instant procedẽ.*

22 Tertiò inijciunt testimonium Constantini Magni, qui (teste Theodoreto d) sic ad Patres Cõcilij Nicæni effatus est. *Habetis Spiritus Sancti doctrinam præscriptam, proinde sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum.* Quod si respondeamus Constantini monitum intelligendum esse iuxta subiectam materiam, de qua ibi tunc agebatur, vtique de consubstantialitate Filij Dei, quã procacissimè negabat Arrius, sacra verò Scriptura apertissimè propalabat: non verò intelligendum esse de omnibus omnino dogmatibus, atque controuersijs: replicant, & obijciunt, quod antè præmiserat *Constantinus inquiens, Euangelium, & Apostolici libri, & antiquorum prophetarum oracula planè instruunt nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit.* Ex hoc enim arguunt, quod cum ly in rebus diuinis stet suapte natura vniuersaliter, vniuersaliter Constantinus, & non tantùm in subiecta materia effatus sit, descendens vtique ab vniuersali ad particulare: qui discursus legitimus est, & planè logicus. *Instant ex testimoni Cõstantini Magni.*

d *Lib. 1. hist. cap. 7.*

23 Quartò promunt Athanasij e verbum dicentis: *Diuinitus inspiratæ scripturæ ad omnem instructionem veritatis sufficient.* Ergo (inferunt ipsi) alia dogmata præter scripta ad instructionem veritatis necessaria non sunt. Quod si respondeamus cum Bellarm. ly *omnem* à Martino *Kemnitio* maligne additum, vt vel ipsi eius gregales viderunt, & proinde Athanasij propositionem vniuersalem non est: replicant, quod licet *Kemnitius* vere id de suo addiderit, at libri contextus à principio indicat hanc fuisse Athanasij mentem, vtique commendare scripturam velut vnicam magistram veritatis. *Item ex Athanas.*

e *Lib. contra idola in princ.*

24 Quintò inducunt *Basilium f* Magnum æquè damnantem eum, qui non scripta introducit, atque eũ qui scripta detrahit. Et ex hoc inferunt nullam velut reuelatam doctrinam admittendam esse in Ecclesia præter illam, quæ scripta est in volumine sacro. *Item ex Basilio.*

f *Sermone de confess. fidei.*

25 Quod si respondeamus cum Bellarm. Basilium intelligendum fore non de qualicumque additione & introductione, sed tantùm de introductione dogmatum aduersantium dogmatibus sacris: replicant, quod Basilius æquè damnauit introducentes atque reijcientes, & proinde quod sicut à diuinis literis nihil omnino est reijciendum, sic nihil omnino illis superaddendum. *Adhuc ex eodẽ Basilio.*

26 Sextò opponunt Chrysostomum g dicentẽ, sacram Scripturã esse, quæ non sinit hominem errare. Ex quo inferunt sacram Scripturam esse omnis veritatis Christianæ, omniumque dogmatum fidei vnicum & generalem magistrum, siquidem omnibus erroribus obstat, omnesque lapsus præcauet, quod fieri neutiquam posset, nisi omnem veritatem doceret. *Sexta authoritas ex Chrysostomo.*

g *Hom. 13. in Gen.*

27 Quod si respondeamus, Chrysostomum non dixisse solam scripturam esse, quæ homines non finit errare, sed scripturam esse, quæ illos *Adhuc ex ipsa.*

errare

errare nō sinit, quod proculdubio de qualicumq; regula quantumuis particulari verissimū est, vtporè quod de ratione regulæ est obliquitatibus obstare; replicant, Chrysostomum non dixisse, quod sacra Scriptura cohibet hos, vel illos errores in particulari, quod est proprium regularum particulariū, sed præcauere errores: dixit enim, quod non sinit errare: quod alteri quàm vniuersali regulæ conuenire repugnat: nam regulæ particulares tantùm cohibent lapsus circa particulares materias, non autem circa omnes.

Septimò ex Epiphanio. 28 Septimò allegant Epiphanium *h* scribentem, quod Christus appellatus est lapis angularis, eo quod nobis construxit vtrumque testamentum, & illicò inferūnt nullum aliud superesse fidei dogma præter comprehensa in vtroque isto fœdere: quoniam alias Epiphanius huiusmodi constructionē non subticuisset, saltem, vt completam lapidis angularis rationem nobis explicaret. h *Heres. 69.*

Eadem quæ in numero præcedēti. 29 Quod si respondeamus, Epiphanium non docuisse Christum ex sola vtriusque testamenti constructione vocatum fuisse lapidem angularem, & proinde non exclusisse traditiones non scriptas: replicant, quod in sententia Epiphanij eo loci producta sola sacra Scriptura est anchora Christianæ fidei, quatenus condens librum comprehendentem vniuersam fidei doctrinam ex solis sacris Scripturis construxit illum, & compaginauit, illique indidit nomen anchoratum, quod interpretatur anchora. Igitur subintellexit omnia firmamenta fidei à sacra Scriptura petenda.

Octauò ex Cyrillo. 30 Octauò proferunt Cyrillum Alexand. *i* dicentem, scripta esse quæ sufficiunt, tàm ad dogmata, quàm ad mores, ex quo plane deducunt nihil ad salutem expediens extra sacram Scripturam inquirendum esse. i *Lib. 12. in Ioan. cap. 68.*

Quod si respondeamus, sensum Cyrilli esse, scripta quidem esse omnia, quæ scribi expediebant, non autem vniuersa, quæ sciri: replicant, quod idem Cyrillus *K* ait, omne verbum ad Deum pertinens requirendum esse in vtroque testamento: quia nihil est quod sacra Scriptura non decernat. K *Hom. 3 in Leuit.*

Nono arg. ex eadem. 31 Nonò depromunt Theophilum Alexandrinū, *l* scribentem diabolici spiritus est aliquid extra sacrarum Scripturarum authoritatem putare diuinum: & mox inferunt, quod cum traditiones non scriptæ sint extra sacrarū scripturarum authoritatem, diabolici spiritus sit illas, vt verbum Dei habere. l *Lib. 2. Paschall.*

Occurritur ex Theoph. & occursus obstruitur. 32 Quod si respondeamus, Theophilum loquutum planè fuisse de libris opocryphis, qui pro diuinis ab aliquibus supponebantur; replicant, verba Theophili aperta simul, & vniuersalia esse, licet occasione particularis materiæ proposita.

Arguit. decimò, ex Apollinario. 33 Decimò testantur Apollinarium dicentem apud Eusebium, *m* se longo tempore distulisse scribere contra Montani hæreses, ne videretur quibusdā, addere aliquid verbo Dei Euangelio. Quod si respondeamus Apollinarium trepidasse timore, vbi non erat timor, & ideò postea re melius inspecta resipuisse, & scripsisse contra Montanum absque discrimine talis suspicionis; replicant, Apollinarium propterea sese continuisse ab studio scribendi contra Montanum: quia primis illis temporibus fortè scripta sua roborare decreuerat traditionibus non scriptis, & ideò vt præcaueret notam adijciendi aliquid Euangelio, ab scribendo abstinuit. m *Lib. 5. hist. ca. 15.*

Arg. vndecimò, ex Tertul. 34 Vndecimò offerunt Tertullianum *n* minantem supplicium æternum illis, qui verbo scripto aliquid adijciunt, vel detrahunt. n *Lib. cōtra Hermogenem.*

Quod si respondeamus, vt suprà ad testimonium Basilij, quod est quintū in ordine, scilicet, damnare tantùm eos, qui contraria, vel aduersa adijciūt: replicant, Tertullianum non illos tantùm perterrefecisse qui afferunt aliquid contra scripturas, sed & illos etiam, qui aliquid afferunt tanquam diuinum, quod tamen scriptum non sit.

Arg duodecimò, ex Cyprian. 35 Duodecimò afferunt Cyprianum *o* dicentem traditionem de non rebaptizandis hæreticis in tantum esse certam veram, & obseruandam, in o *Epist. 74. ad Pomp.*

quantum

quantum sacris in literis comprehensa monstratur. Ergo (inferunt illicò) negauit Cyprianus authoritatem traditionum, quæ scriptæ non sunt; siquidem prædictæ noluit acquiescere, nisi ostenderetur scripta in volumine sacro.

36 Quod si respondeamus, Cyprianum id dixisse quando versabatur in errore de rebaptizandis hæreticis, & ad illi patrocinandum, ac proinde testimonium eius in hac parte irritum esse, & plane nullum: quoniam errorem errori copulauit: replicant ad Cypriani intentum satis fuisse negare traditionem prohibentem rebaptizationem hæreticorum: quia tamen omnes illas traditiones nõ scriptas negauit, eo quod requisiuit ad prædictæ traditionis authoritatem, vt scripta esset, palàm excludit traditiones non scriptas. Occurritur arg. sed infringitur occursus

37 Decimotertiò proponunt Hieronymum p scribentem *Sine authoritate sacrarum Scripturarum garrulitas non habet fidem*: & inde colligunt garrulitatis verba esse non autem infallibilis veritatis illa, quæ à sacra Scriptura authoritatem non habent. Arg. decimotertiò, ex Hier.

p Sup. cap. 1. epistol. ad Titum.

38 Quod si respondeamus, sensum Hieronymi esse propterea garrulos sæpè sacras Scripturas inducere, vt garrulitati suæ fidem concilient, quæ necessario sacris literis adhibenda est: replicant, eundem alibi dixisse, *Quod de scripturis authoritatem non habet, ea facilitate contemnitur, qua probatur*. Ex hoc enim inferunt, omne solidæ authoritatis rationem in sacras Scripturas Hieronymum reiecisse, & proinde traditiones non scriptas repudiasse. Occurritur Hieronymo, sed redarguitur occursus.

q Sup. Matth. 23

39 Tandem immittunt Augustinum r scribentem, *In his, quæ aperte posita sunt in sacra Scriptura, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi*. Igitur neque ad fidem, neque ad mores (inferunt) opus est alia reuelata doctrina. Arg. 14. ex Aug.

r Lib. 2. de doctrina Christiana, c.

40 Quod si respondeamus cum Bellarm. Augustinum loqui de illis tantùm dogmatibus, quæ debent fide explicita credi; replicant Augustini s eiusdem verbo in hunc modum prolato. *Quid amplius doceam quàm quod apud Apostolum legimus? Sacra enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquam oportet sapere.* Occurritur arg. sed occursus refellitur.

s Idem de bono viduitatis, cap. 10.

CAPVT QVARTVM.

Argumenta ex discursus ratione contra Apostolicas traditiones.

41 Ertia argumentorum acies ex rationum discursu armatur, quarum prima hæc est: Iudæi nullas diuinas traditiones habuerunt, vel agnouerunt: vt patet tum ex eo quod dixit a ad epulonem diuitem Abraham: *Habent Moysem, & prophetas, illos audiant*. Vbi nulla traditionum mentio inducitur: inducenda tamen si essent traditiones diuinæ, fidei dogmata comprehendentes. Tùm ex eo, quod in vtroque testamento expressa habetur mentio de traditionibus hominum, nulla verò vsquam de traditionibus Dei. Tùm deniq; quia Christus c interpretatus fuit discipulis scripturas omnes, quæ de ipso erant, & tamen interpretatus non fuit, nec fertur, traditiones aliquas: signum vrgentissimum, quod nullæ essent. Igitur neque Christiani verè habent aliquas traditiones diuinas: siquidem pagina testamenti noui non debet esse imperfectior pagina testamenti veteris, ita vt per traditiones non scriptas in dogmatibus sacris suppleatur. Argumẽta desumpta ex ratione, & primũ ex ea, quod Iudæi traditiones nõ agnouerunt.

a Luc. 16.

b Esai. 29 Matth. 15. ad Galath. 1. ad Colloss. 2. 1. ad Timot. 1. & 1. Petri 1.

c Luc. 24. v. 25. & 27.

42 Quod si respondeas; status istos fuisse diuersos, & proinde diuerso

modo

Cōfirmatio eiusdem argumenti

modo administrandos; replicant esse quidem verè diuersos; sed diuersitatē consistere in maxima perfectione, qua superatur primus à secundo. Ex quo inferunt, quod si primus habuit sacram Scripturam pro adæquata norma credendorum, multo melius status secundus sit habiturus eandem pro vnica norma & regula.

2. Arguitur contra traditiones, ex earum incertitudine.

43 Deinde traditiones non possunt conuenienter sine sacra Scriptura seruari, aut conseruari: nam quæ de aure in aurem transeunt, aut non eadē, aut saltim non omnimodo perseuerant; sed mutatis auribus mutantur, paulatim, & tandem pereunt, nisi literarum monumentis fulciantur, & conseruentur; iuxta quæ videre licet in præceptis Pythagoræ, & in Licurgi legibus, ac similibus, quarum paucissimæ remanent, eo quod Pythagoras, & Lycurgus, non scripto, sed voce tenus docuerunt: quare Chrysostomus d expresse asserit, scripturis diuinis opus fuisse: quia multi doctrinam corrumpunt. Igitur vel nullæ sunt traditiones diuinæ fideliter conseruatæ, vel sunt intra sacras Scripturas.

d *Hom. 1. in Matth.*

Quod si respondeas traditiones, vt Ecclesiam ipsam speciali Dei tutela prouidentiaque conseruari: replicant, quod Ecclesiæ incolumitatem, & conseruationem sæpè Christus palàm promisit, traditionum verò nusquam, & proinde voluntariè affirmari talem prouidentiam specialem in earum conseruationem.

3. Ex perfectione sacræ Scripturæ, quæ omnia necessaria ad fidem, & mores cōplectitur

44 Tertiò sacræ literæ scriptæ sunt in normam fidei, & morum, vt habet sæpissimè Aug. e At si planè non continerent omnia ad hoc munus requisita, manca, multis, & imperfecta esset sacra Scriptura, & ex cōsequenti Deo authori indigna. Igitur nihil quod ad rationem regulæ expediat desideratur in illa: & proinde traditiones non scriptæ Scripturæ adendæ non sunt.

e *Lib. 19. de Ciuit. ca. 18. & lib. 11. contra Faustū cap. 5. & lib. de bono viduit, c. 1.*

Cōfirmatio eiusdem argumentum.

45 Quod si respondeas cum Bellarm. sacram Scripturam esse quidē credendorum regulam; at non propterea conditiones regulæ fidei confluere in eam, eo quod vna illarum est, quod credendis adæquetur. Vt enim de ratione diffinitionis est, quod neque superflua, neque diminuta sit: ita de ratione regulæ ac normæ: cùm tamen in sacris literis contineantur quam plurima, quæ suapte natura ad fidem necessaria non erant, vtique omnes historiæ veteris testamenti, & aliquæ ex nouo inscriptiones, & salutationes epistolarum, & alia huiusmodi: replicant solutionem hanc nefariam, atque impiam esse: quoniam ex ea concluditur multa sacrorum bibliorum necessaria non esse, quod tamen blasphemiam redolet.

4. Ab incōuenienti ne fabulosis traditionibus aditus pateat.

46 Quartò, si simel traditionibus fidei porta aperiretur, magna fabulosas fingendi traditiones occasio præberetur hæreticis, quibus semper gentile fuit, & valde germanum fictitijs traditionibus suos errores fulcire, suosque discipulos fallere. At hoc inconueniens est grauissimum, pariterque nocentissimum Ecclesiæ Christi. Ergo videtur consequens, quod Deus talem circumueniendi occasionem intra Ecclesiam suam non tulerit.

Cōfirmatur idem inconueniens.

47 Quod si respondeas cum Bellarm. propter abusus malignos improborum non esse habendum vt malum id quod suapte natura bonum est, & quo benè vti omnibus licet, & expedit: replicant, non solùm impios & sceleratos, sed laudatos etiam & probatissimos viros turpiter fuisse lapsos in negotio signandi traditiones, siquidem Papyas pro traditione euulgauit errorem Millianorum apud Eusebium, f & Irenæus g pro traditione docuit Christum Dominum obijsse anno 40. ætatis suæ: quæ plusquam falsa sunt.

f *Lib. 2. hist. cap. vlt.*

5. Arguitur ex occulta, & penè ignota traditionū notitia.

48 Tandem traditiones istæ occultæ admodum, & penè ignotæ sunt: siquidem paucissimi intra Ecclesiæ gremium inueniuntur, qui digito eas valent indicare, & certo præfigere. Ergo signum est, nō esse verba Christi quidē se ipso protulit: h *Ego palam loquutus sum mundo, & in abscondito loquutus sum nihil*: imò signum est nō continere sanā ac syncerā doctrinā, vt potè quia talia sunt, quæ latebras & latibula quærunt. Quare traditiones hæreticorum præclusæ admodum sunt tanquam indignæ, vt in lucem fiant.

g *Lib. 1. aduersus hæreses, cap. 3. 5. & 42.*

h *Ioan. 18. 8.*

Quod


49 Quod si respondeas, traditiones istas prudenter occultari: tum quia cognitio illarum non omnibus ad salutem necessaria est, ne apud vile vulgus vilescant, eo quod vulgus æquus æstimator rerum non est. Replicant præceptum esse Christi: *i Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Et ex hoc inferunt nihil quod ad Ecclesiam pertineat debere tegi, aut abscondi, sed omnibus propalari.

i *Matth.* 10.27.

Cõfirmatur præcedés argumẽtũ.

CAPVT QVINTVM.

Ostenditur ex literis sacris esse aliquas traditiones diuinas.

50 Ed iam ad fidelium castra demigrandum est, & cum orthodoxis asseuerandum, pariterque demonstrandum esse aliquas traditiones diuinas, vt sic iam rem ad arma deductam, armis decidamus. Nam in primis id certò colligitur ex illo Christi Domini verbo: *a Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Cuius sensus est: Multa vobis enunciare decreui (id enim sinificat, ly *habeo dicere*) sed quoniam minimè idoneos vos ad ea penetranda video, in aliud propterea tempus reseruo: vtique in tempus resurrectionis suæ, quando passionis suæ merore depulso, alacriores ad audiendum, & promptiores ad intelligendum redditi sunt. Vnde Lucas ait; *b per dies 40. apparuit discipulis loquens de regno Dei*, & in tempus aduenientis Spiritus, qui veritatem omnem edocuit eos omni natiua hebetudine & ingenij tarditate depulsa. Cũ igitur multa hæc fuerint, iuxta ly *multa habeo vobis dicere*: pauca verò, quæ per Apostolos literis consignata sunt, sequitur non omnia, quæ Christus vel per se, vel per Spiritum Sanctum tanquam necessaria ad salutem edocuit, literis consignata esse.

a *Ioan.* 16.12.

b *Actor.* 1. v. 3.

Ostendũtur traditiones diuinæ ex literis sacris, & primum ex Ioan. 16.

51 Nec valet primum effugium aduersariorum dicentium, ly *multa*, nõ significare hic alia ab his, quæ Apostolos tunc Christus docuerat, sed eadem prorsus per Spiritum Sanctum posteà illustrius explicanda, exprimenda, atque suggerenda: iuxta id: *c Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

c *Ioan.* 14.26.

Non inquam valet, quia Christus non dixit multa hæc adhuc illustrius repetenda sanciui; sed, *adhuc multa habeo vobis dicere*: id est, præter hæc, quæ audistis, multa dicenda supersunt ex his quæ paraui, vt dicerem. Secundò, quia licet verum sit, quod Spiritus Sanctus, eadem quæ Christus edocuit, ipse posteà suggesserit, & in memoriam Apostolis reuocauerit, & illustriora reddiderit: at etiam multa alia nondum ab eis audita, scitu tamen necessaria ad salutem detexuit, propter quod post præmissam *d* sententiã subiecit Christus: *e Cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: omnem vtique illam, comprehensam, & subintellectam ab ipso Christo in illo præmisso elogio, *Multa habeo vobis dicere.*

d *Vers.* 12.
e *Vers.* 13.

Cõfirmatur ratio desumpta ex authoritate præcedenti.

52 Neque iterum valet secundum aduersariorum receptaculum dicentium, multa quidem esse quæ ab Apostolis & Euangelistis scripta sunt, & relata in literas, ac proinde multa illa scriptis mandata esse. Contra enim est primo, quia multa illa, de quibus supra Christus, erant diuersa, & omnino alia ab his, quæ Apostoli ipsi iam dudum viderant, & audierant: nam de his non opus habebant imbui, instrui, aut certiores fieri, vtpotè quæ oculis hauserant, & auribus à Christo exceperant: qui tamen omnem penè historiam Euangelicam sic viderant, vel audierant. Dempta autem historia Euangelica scripta alias per manus Apostolorũ, multa quidẽ, mehercle, nõ sunt: imò neque cum historia Euangelica: quia licèt modus narrandi varius semper, ac ue-

Secunda cõfirmatio eiusdem.

ac diuersus sit; res tamen, quæ narratur, vt plurimum prorsus est eadem. Secundò, quia licet demus scripta ab Apostolis esse quidem multa: at non adeò multa, vt 40. dierum posset colloquutio earum tempus & interuallum explere, maximè cum opus non fuerit omnia vsque ad vnguem resecare, & patentissima efficere: siquidem munus hoc in Spiritus Sancti aduentum consulto reseruabatur.

Tertia cõfirmatio aduersus tertiũ aduersariorũ effugium?

53 Nec valet tertiũ eorundẽ aduersariorum effugium dicentiũ, prædictũ elogiũ esse hæreticorum asylum, quo falsas atq; fabulosas traditiones suas perpetuo fulcire tentarunt quatenus prætextu huius, quod Christus protulit, inquiens. *Multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modò*; commentantur quascumq; subdolas traditiones venditantes illas pro vero verbo Dei cum maximo detrimento fidelium. Contra enim est primò. Nam ex eo, quod aliqui irrationabiliter inferant ex hoc principio, non continuò sequitur, nihil rationabiliter posse ex illo deduci. Secundò, quia traditiones illæ commentitiæ facilè deprehenduntur fallaces, quia non cohærent cum traditionibus scriptis, nec benè vero consonant, neque regulæ legitimarum traditionum cohærent: de qua regula posteà. At traditiones, quas vt pias & Catholicas veneratur Ecclesia, solidissimæ veritatis fulcro nituntur, ac legitimarum traditionum normæ cohærent: quare inconueniens allatũ non vrget contra nos.

Quarta, & vltima aduersus quartum asylũ hæreticorũ

54 Neque denique valet vltimum aufugium aduersariorum dicentium ex Augustino, *f* temeritatis ausum esse velle nos signare, aut explicare quænam sint multa illa quæ Christus habuit dicere Apostolis suis, & tamen pro tunc non dixit: atque adeò irrationabiliter, & temerè nos cõmentari, quod multa illa sint traditiones diuinæ. Non inquam valet: quoniam Aug. intelligendus est de illo qui suoptè ingenio, & proprio (prout dicitur) Marte aperire, & explicare nedum signare tentaret, quæ Apostoli edocti à Christo cõgruenter capere non potuerunt. Item intelligendus est de omnibus sensim & sigillatim sumptis: nam de aliquibus in particulari aliqui grauiores viri, vt Iustinus *g* Mart. Origenes, *h* atque Didymus *i* aliqua velut indice prodiderunt ex multis illis, quæ Christus habebat tunc dicere Apostolis, & tamen pro tunc non dixit. Sanè Iustinus vnum horum esse dixit Regnũ Christi non esse temporale, sed spirituale. Origenes item dixit, vnum horum fuisse legem veterem, non secundum literam, sed secundum spiritum seruandam esse. Gregorius similiter docuit, vnum ex multis illis fuisse doctrinam disertam de diuinitate Spiritus Sancti, quæ Augustinum latere non potuerunt. Ex quo sequitur, quod prædictum elogium non subintellexit prout sonat. Item neque intellexere illud de omnibus simul sumptis non descendendo ad particularia quæque, & singularia: quoniam citra controuersiam est apud omnes eruditos fideles quod multa illa potissimum importabant ea, quæ ad bonum Ecclesiæ regimen animarumque salutem Christus ipse expedire videbat: de his enim oportebat ipsum erudire discipulos suos; si tamen ipsi capaces inuenirentur tantorum dogmatum: quia tamen tanquam nouitij, atque etiam vt conturbati, perterritique passione instanti ipsius Christi impares erant tanto oneri, ideò consulto Christus distulit in aliud tempus. Non ergo Augustini testimonium militat contra nos: & proinde fideles possunt velut indice prodere, licet non omnia & singula, multa tamen ex his, quæ Christus habebat dicere, nec tamen pro illo tempore dixit Apostolis.

(?¿?)

f Tractatus 69. in Ioannem.

g Quæstionib. gen. resp. 212.

h Lib. 1. contra Celsum.

i Lib. 2. de Spiritu Sancto.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Iterum ex scripturis demonstrantur Apostolicæ traditiones.

a 1.Cor.11.2.

b Sup.1.Cor.11

c Heresi 61.

d De Spiritu Sancto,c.29.

e Lib.4.cap.17.

f Lib.4.de verbo Dei non scripto, cap.5.

55 Vrsum traditionum veritas comprobatur ex illis Pauli elogijs: *a Laudo vos fratres, quia sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Quæ Græcè ad verbum habent, vt vel ipsi hæretici transferunt, *traditiones tenetis.* Textus item Ambrosij: *Et quomodo vbique trado, traditiones meas tenetis.* Cùm igitur traditiones istæ scriptæ non fuerint, vt præter Chrysostomum, & Theophilactũ, *b* Epiphanium, *c* Basilium, *d* & Damascenum, *e* relatos à Bellarmino, *f* ratio ipsa demonstrat, quatenus hæc prima fuit epistola Pauli ad Corinthios: consequens est, Apostolos non omnia necessaria ad salutem in literis fuisse eloquutos, sed aliqua viua voce duntaxat. Si enim Paulus id fecit, qui fuit maximus Doctor, & scriptor: consequens est, quod etiam alij prætiterint.

Comprobatur veritas Catholica sacrarũ traditionũ, ex 1.Cor. 11. vsq; ad numerum 58. exclusiue.

56 Nec valet aduersariorum primum subterfugium dicentium, præcepta ista, vel traditiones istas non esse circa necessaria, sed tantùm circa congruentia, vtique circa aliquos ritus, cœtus, cæremonias, &c. Cõtra enim est primò, quod ly præcepta importat suapte natura id quod non pro libito, sed quod necessario obseruandum est. Secundò, quod Pauli sentẽtia ad integrũ prolata sic habet. *Laudo autem vos fratres quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Cuius sensus est. Laudo vos quod omnem doctrinam meam fideliter retinetis, adeò vt præcepta mea haud aliter quam à me audistis animo infixa tenetis. Ergo Paulus hic omnem suam institutionem intellexit, qua Corinthios imbuerat; & proinde non tãtùm aliquas minores notæ cæremonias, aut ritus; sed potius potiora, quæ viua voce docuerat.

Traditiones diuinæ erga necessaria.

57 Neque secundò valet secundum eorundem perfugiũ, scilicet, quod licet tunc Apostoli doctrina literis mandata non esset, non inde sequi, quod nunc literis mandata non sit, saltem quantum ad illa, quæ sunt necessaria ad salutem. Contra enim est, quod nullus est signabilis codex, neque hactenus aliquis signare præsumpsit cartham, in qua contineantur præcepta, quæ Paulus vocat sua. Nugas ergo agunt aduersarij isti in solutionibus suis.

Occurritur argumẽto, & effugium obstruitur.

g Cap.11.v.23.

58 Item in eodem cap. idem Apostolus subijcit: *g Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ex quo sequitur, quod saltem pro tunc traditiones non scriptæ vigebant intra Ecclesiam; & quidem traditiones de rebus scitu admodum necessarijs, quales erant illæ, quas Paulus verbotenus à Domino acceperat, & Corinthios docuerat. Et licèt Paulus de institutione, & assumptione Eucharistiæ narrationem prius verbo traditam, cum alijs quæ à Domino acceperat scripto isto in capite dederit, nusquam tamen indicat reliqua misisse in chartas, imò indicat non misisse, dũ ad calcem narrationis, quam scripto dedit de Eucharistia subiecit: *Cætera cum venero disponam.* vtique viuæ vocis oraculo, non autem scripto: nam si voluisset, aut constituisset scribere non opus erat vt veniret, sed à longè poterat rescriptum destinare. Vnde quæ veniens disposuerit scripta non sunt: & proinde erãt traditiones Apostolicæ nondum scriptæ.

Item ex eodẽ capite, v.23 vsque ad numerũ 60.

h Sup.1.ad Corin. hom.28.

59 Neque valet aduersariorum commentum, vtiq; ly cætera, non grauium, sed leuiorum rerum rationem continere, quatenus verbum Græcum *Dyatoxomai*, pro quo Latinus vulgatus vertit *cætera*, non grauiorum & substantialium, sed leuiorum tantùm dispositionem significat. Vnde Chrysostomus *h* subintellexit hoc verbum de rebus non valdè vrgentibus: cùm tamẽ tradi-

Objicitur contra prædicta, & obiectio diluitur.

traditiones diuinæ, de quibus controuersia inducitur, debeant esse de vrgentissimis rebus, vtique de dogmatibus fidei.

Obiectio diluitur. Non inquam valet, quia licet Paulus vrgẽtiora, & valde periculosa circa institutionem, & sumptionẽ Eucharistiæ scripto præmisisset, non illicò cætera, quæ in posterũ disponenda seruauit (adhuc circa hoc sacramentũ) leuia fuisse dicendũ est, sed ad summũ non ita pro tunc vrgentia, & præmentia. Constat enim, inter cætera illa posteà disponenda, necessario contineri dogmata de ordinatione ministrorum huius sacramenti, & de ipso sacrificio altaris, alijsq; huiusmodi, de quibus Apostolus nihil pro tunc disposuit, sed in posterum disponenda prædixit. Hæc autem omnia, & singula grandia prorsus, atq; grauia sunt, licet alia minoris pretij simul cum illis disponenda essent, in præscripto & præsignato tempore, vtique in aduentu Pauli.

Quid apud Græcos ly *Diatozomai*. 60 Neque verum omnino est, sed omnino falsum & fabulosum ly *Diatezomai*, leuia tantùm apud Græcos significare: quoniam ex æquo significat, tàm res magni, quàm exegui momenti, non secus ac ly *reliqua*, & ly *cætera* apud Latinos. Quare Chrysost. magis, & minus vrgentia, per ly *cætera* subintellexit, adeò vt quæ ad Eucharistiæ rationẽ pertinebant citius deberent proponi, reliqua autem non sic propriè: quoniam propter moram periculũ non imminebat.

Hinc planè sequitur, quod cum Paulus dixit: *Cætera cum venero disponam*: per ly *cætera* subintellexit illa, & omnia illa, quæ licet magni ponderis & momenti, non tamen ita vrgebant, vt quæ de Eucharistia dixerat. Et proinde sequitur grauia multa ad fidem pertinentia voce tantùm edocta fuisse, non autem scripturis mandata: siquidem cætera hæc, neque in hac epistola, neq; in alia, neque nullibi testata inueniuntur.

Obijcitur contra prædicta. 61 Neque obstat, quod rursum ijdem hæretici obijciunt, nimirum, quod cum hæc scripsit Paulus, iam habebat Corinthios abundè institutos, & doctos in omnibus necessarijs: vtpotè quibus ipse præscripserat, *i Diuites facti estis in omni verbo, & omni scientia*: & proinde verbum illud *K Cætera cum venero disponam*, non importare dispositionem circa essentialia, & substantialia; sed ad summum circa accessoria, & minus vtilia, vtique circa aliquam externam ordinationem religionis & cultus. i Cap. 1. v. 5. K Cap. 11. v. 34.

Occurritur obiectioni. 62 Non inquam obstat. Primò, quia cum Paulus eisdem Corinthijs posteà dixerit, vtiq; *l Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis*: euidenter conuincitur nondum tradidisse illis sublimiorem, & præstantiorem fidei doctrinam, hoc est, altiorem mysteriorum notitiam significatam per escam, quæ est solidus robustorum cibus, sed faciliorem & simpliciorem dumtaxat, qualis paruulos ac nouitios decet, quia tamen in hac abundabant, & pleni, ac imbuti erant, ideò dixit *m Diuites factos fuisse in omni verbo, & in omni scientia*, vtique concernenti statum conditionis suæ; veluti cum dixit Christus Apostolis *n Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcumq; audiui à Patre meo nota feci vobis*: tantùm voluit dicere, quod ex omnibus, quæ à Patre acceperat, illa omnia & singula eis cõmunicauerat, & impertitus fuerat, quæ suũ omnino captũ concernebant. Capite enim sequenti subdidit, quæ nos cap. præcedenti induximus videlicet: *o Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*; nimirũ propter ingeniorũ suorũ debilitatẽ & imbecillitatẽ, & propter alias hebetudinis cõsuetas causas, quibus planè prosternerẽtur si grauiora, & sublimiora illis in medium prolata fuissent. Vnde sicut in tantũ aliquis dici solet gratia plenus, quatenus imbibitam habet, non quidem omnẽ gratiã, aut gratiã vsq; ad summũ eius, sed suo muneri concernentẽ: sic Corinthij potuerunt diuites in omni verbo & scientia appellari: quia iuxta cõditionẽ, & modum status sui, & captus plenè imbuti & instructi erant; nõ tamẽ prout simpliciter ad salutẽ requirebatur; alias quid opus esset illos amplius instituere? & susceptionem Eucharistiæ docere? l 1. Cor. 3. v. 1. m Cap. 1. n Ioan. 15. v. 15. o Ioan. 16. v. 12.

63 Quisnam gratia, aut scientia plenus.

64 Si autem velimus piè, & benignè interpretari Corinthios plene instructos fuisse in omni verbo fidei, etiam perfecto, ita vt cognitione abundarent omnium, quæ requirebantur ad salutem, tunc referendæ sunt istæ diuitiæ cum August. p D.Thom. q & alijs ad eos, qui tunc perfectiores inter Corinthios erant, pro quibus dixerat idem Paulus: r *Sapientiam loquimur inter perfectos*: non autem promiscuè ad omnes: licêt omnibus possit sermo aptari propter sacræ Scripturæ regulam prædicantem sæpè de toto, quæ tantũ sunt partis: maximè interquos viget charitas: nã hæc (vt ex Aug. sup. Ioan. inquit D.Thom.) ſ *Si amas virtutem, habebis quidquid in illa alter habet, tolle inuidiam, & tuum est quod alius habet: quos cupiditas & inuidia non separat, charitas iungit*. Vnde sanctissimus institutor noster t (ex Hinimaro Episcopo Rhemensi) *Quod mihi deesse sentio in me, totum (laus Deo) possidere me credo in te*.

Cur dicã tur Corinthiplẽni omni scientia, & verbo?

p Epist. 59. ad Paulinum q. 6.
q Sup. 1. Cor. 1. v. 5
r Cap. 2. v. 5.
ſ Vbi suprà.
t Summus P. N. Benedictus Epist. ad Himmerũ.

65 Sed age, concedamus hæreticis omnes in vniuersum Corinthios omni verbo ac scientia repletos, & lucupletatos iam dudum; vnde locus quod ly *in omni verbo*, & *in omni scientia* referenda sunt, non tantùm ad genera singulorum, sed etiam ad singula generum, in ratione doctrinæ Catholicæ? Cùm videamus de tot grauissimis rebus eos de nouo commonefieri, & ab ipso Paulo edoceri. Haberent ergo ad summum potiorum capitulorum fidei, & articulorum intelligentiam sufficientem illis pro consequutione salutis: similem proculdio cognitioni illi quam habent, qui articulos fidei summatim, & sigillatim tenent, ac retinent, non tamen vniuersalem fidei dogmatum scientiam, quam vtinam peritiores omnes obtinerent. Quare conuenienter de his admodum necessarijs dogmatibus debuerunt edoceri Corinthij. Et quidẽ (ad minus saltim) rem sic se habuisse planè constat ex eo, quod propositio illa, *Diuites facti estis in omni verbo, & in omni scientia*, vel est verè vniuersalis, vel non, sed indefinita. Si non: habemus intentum, vtique Corinthios pro tunc satis eruditos non fuisse in omnibus rebus fidei, ac dogmatibus morum. Si sic. Ergo etiam leuia, & non tantum grauia Christianæ religionis documenta agnouerunt: siquidem etiam leuia religionis Christianæ, ex æquo significantur per ly in omni verbo, & in omnia scientia: & proinde tàm in essentialibus, quàm in accessorijs imbuti omnino erant Corinthij antequam Paulus scripto loqueretur ad eos, atque adeò nihil ab eo disponendum supererat, contra id quod ipse dixit expresse: *Cætera cum venero disponam*.

Apud Corinthios omnis Christianæ doctrinæ scientia vigebat: at nõ apud singulos.

1. Cor. 1. v. 5.
1. Cor. 11. v. 34.

Consequens igitur, est Paulum ex his, quæ à Christo acceperat, voluisse aliqua scripto tradere, reliqua autem viua tantùm voce disponere, & animis auditorum infigere, quo sua prædicatione docuerat fidei rudimenta priora, quæ debent prius recipi, & proinde intra Ecclesiam extare traditiones non scriptas.

CAPVT SEPTIMVM.

Tertio probantur ex sacris literis traditiones diuinæ.

66 Ertius funiculo nostro filus inijciẽdus, venit ex literis sacris, vt nec difficulter inflecti, nedũ rũpi valeat, aut frangi. Deducitur autem hic filus ex globo illo, qui omnes valde circum egit hæreticos, vtique ex illo præcepto & iussu Apostoli Pauli: a *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*: hic etiam Apostolus mandat, vt etiam traditiones non scriptæ obseruentur, non secùs ac scriptæ. Ergo profitetur apertè esse traditiones

Fulcitur traditionum veritas ex eadem sacra pagina 2. ad Thessal. 2.

a 1. Ad Thes. 2. 14.

ditiones non scriptas, easque ita obseruandas, ac tenendas, vt sacræ ipsæ literæ. Quid clarius aut illustrius?

Astruitur mens Pauli cōtra varias hæreticorū calumnias vsque ad numerū 68. inclusiue.

Neque audiendi aduersarij sunt, qui satagunt hæc interpretanda pro illo tempore, quo vel sacrarum Scripturarum noui testamenti canon absolutus non erat, nec plenè in literas missus, vel saltem in Thessalonicen. manus nō incurrerat. Etenim præterquā quod hoc scitu impossibile est, & proinde temere assertū cōtra expressum elogium Pauli, ipsa verborum Pauli perspicuitas omnem depellit caliginem quantumuis malignè effusam, expresse siquidem, & simpliciter iubent traditiones seruari, tàm sermone tantùm, quàm scripto etiam acceptas. Ergo agnouit Paulus traditiones non scriptas pro vero verbo Dei, & palàm illas extare asseruit, ac retinere iussit.

Neque item audiendi sunt ijdem aduersarij contendentes Paulum non alia, & alia; sed eadem aliter, & aliter scripto, & voce docuisse, hoc est, traditiones, quas Paulus voce docuerat non esse diuersas substantias, sed modo tantùm ab his quas scripto annuntiauit, vel annuntiauerat.

Non inquam audiendi sunt: nam (rogo) vnde id sibi conijciunt hæretici? Quando vtriusque formæ traditiones viderunt, aut in qua parte auscultarunt, ipsasque inuicem contulerunt, vt in substantia pares, in modo autem diuersas comprehenderent? O nugarum nugæ! germanæ *prorsus* illis, quibus illud tantùm studij est *veritati obstrepere.*

Præterquam quod, vel isti admittunt commendari aliquid præter scripturas necessariò tenendum, vel non. Si primum: ergo iam traditiones nō scriptæ aliquid substantiale præter scriptas important. Si secundum: ergo propositio illa de traditionibus non scriptis, sed tantùm sermone acceptis superfluè admodum, imò perniciosè inducta est, siquidem dum nihil momenti habet: quādoquidē dum nihil speciale cōmendat, nullius est frugis; & vt commendare videtur aliqua omnino diuersa magni est periculi omnibus, vtpótè quod impegerunt in eam, vel ipsi oculatissimi Patres: ex illa enim, vt ex euidenti principio intulerunt esse traditiones non scriptas longè alias ab scriptis, Basilius, *b* Damasc. *c* Chrysost. Theophilac. & communiter huius loci interpretes, *d* imò & ipsa 8. Synodus generalis. *e* Etenim (vt interim alios præteream) sic ait Chrysost. *Hinc perspicuum est, quod non omnia tradiderunt Apostoli per epistolas, sed multa etiam sine scriptis.*

Plura ex scitu dignissimis verbotenus, quā scripto tradita.

67 Neque tandem audiendi sunt ijdem interpretes contendentes Paulum sic fuisse loquutum: quia non omnia, quæ voce docuerat, literis tunc erant mandata, quia tamen mandata sunt posteà, siue ab ipso, siue ab alio scriptore sacro, nihil præter scripturas obseruandum superfluit.

Contra enim est, tùm quod responsio hæc apertam inuoluit petitionem principij, dum pro solutione assignat partem omnino eandem contra quā litigamus, vtique omnia necessaria ad salutem literis prodita esse. Tùm quoniam vel ex illo capite apertissimè comprobatur oppositum: etenim ex illo constat; quod Paulus viuæ vocis oraculo Thessalonicenses aliquando docuerat. Secundum Christi Domini aduentum pro tunc non instare, vtpotè qui futurus non erat antequam præcederet Antichristus, cuius aduentus similiter tunc non imminebat; sed potius remorabatur, & præpediebatur ob speciales rationes, & causas, quas illis propalauit; vnde dicit: *f Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?* Vtique præmissa: nimirum: *g Ne terreamini quasi instet dies Domini, nequis vos seducat, quoniam nisi reuelatus fuerit homo peccati, &c.* Id est, filius hominis non aderit vsque dum filius iniquitatis, id est, Antichristus præcurrat & præcedat. Item subiungit: *h Et nūnc quid detineat scitis*, vtiq; reueletur suo tēpore, id est, quæ causæ præpediant, & remorentur aduentū Antichristi vos probè scitis. Cū igitur huiusmodi causæ illis notæ essent, nobis autē ignotæ sint etiā euoluētibus, & perscrutātibus omnē sacræ Scripturæ paginā, euidēs est, quod Paulus aliqua scitu necessariā etiā verbo tenus docuerat, quæ postea in literas relata non sūt. Causa autem

b *De Spiritu Sancto, cap. 27.*
c *Lib. 4. de fide, cap. 17.*
d *Sup. hunc locū.*
e *Act. vlt. canon 1.*
f *Vers. 6.*
g *Vers. 3.*
h *Vers. 6.*

huius moræ in scripturis sacris non inuenitur, cùm tamen Paulus eam verbo apperuerit.

i *Lib. 20. de ciuit. cap. 19.*


67 Hinc August. versans locum istum Pauli dicit: i *Quid autem ait* (scilicet Apostolus) *& nunc quid detineat scitis: id est, quid sit in mora, quæ causa dilationis eius, vt reueletur in suo tempore scitis: quoniam scire illos dixit, aperte, hoc dicere noluit: & ideò nos, qui nescimus quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus cupimus, nec valemus.* Perspicuum ergo est, non omnia, quæ Paulus ore docuit, scripta posteà fuisse: siquidem huius moræ causam verbo Thessalonicensibus patefecit, quæ tamen literis mandata vsquam non inuenitur, alias acre illud, sublimeque Augustini ingenium non latuisset, maximè post tot lucubrationes circa indagationem illius. Non omnia, quæ Paulus docuit scripta fuere.

68 Scio huius causæ notitiam ad salutem necessariam non esse, alias Ecclesiæ innotuisset: at ex eo quod literis tradita non habetur conuincitur falsam esse propositionem illam vniuersalem, ex qua aduersarij deducunt particularem, hoc est, falsum esse omnia, quæ Paulus voce edidit, relata esse in literas, & proinde omnia quæ Paulus voce edidit tanquam necessaria ad salutem scripta esse; vtraque enim propositio falsitatis conuincitur: siquidem velut indice prodimus aliqua viua voce prædicata à Paulo tanquam omnino necessaria, & tanquam aliqualiter conducibilia, literis postea, vel etiam antea consignata non esse. Non omniũ, quæ Paulus gessit, aut omisit causa scita est.

CAPVT OCTAVVM.

Ex eisdem literis sacris ostenduntur traditiones diuinæ.

a *1. Ad Timot. 6. v. 20.*

69 Dhuc ex literis sacris subsidia pro sententia Catholica multa suppetunt, vti illud Pauli: a *O Timothee depositũ custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quã quidã promittentes circa fidem exciderunt.* Hic enim depositi nomine licet varij varia intelligant, rationabilior tamen plausibiliorque explicatio est illa, quam Chrysost. Theophilac. Oecumenius, & Anselmus, b aliique plures, tàm ex antiquis, quàm ex modernis interpretibus huius loci sequuntur cũ pijssimo, pariterque eruditissimo Vincentio Lirinensi, c nimirum, doctrinæ sanæ, Catholicæque thesaurum: illum vtique de quo Iræneus sic: d *Non oportet apud alios veritatem quærere, quàm ab Ecclesia, cum Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eã contulerunt omnia, quæ sunt veritatis.* Et ne aliquis malignè id contulerit ad solas scripturas, subdit: *Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias?* Nomine ergo doctrinæ Apostolorum thesaurus hic intelligitur, habita ratione ad doctrinam, vt sic, non autẽ ad conditionem extrinsecam doctrinæ, vtique conditionem sacræ Scripturæ. Timothæus enim non fuit creatus, aut etiam constitutus custos extrinsecus Bibliorum, sed fuit constitutus Doctor, & locupletissimus præceptor doctrinæ fidei quouismodo illi traditæ, siue per concionẽ, siue per scripturam. Adducũtur adhuc sacræ literæ pro traditionibus sacris, ex eodẽ Paulo 1. ad Timoth. 6. & prosequuntur vsq; ad num. 75.

b *Sup. 1. ad Tim. 6. 20.*

c *Lib. contra Proph. v. n. c. 26. & 27.*

d *Lib. 3. contra hæreses, c. 4.*

70 Et sanè hoc ipsum nõ obscurè significauit Paulus in verbis subiectis post nominationem depositi vtique in illis: *Debita profanas nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Hæc enim non opponũtur, neque aduersantur, nisi seriæ, sanæque doctrinæ, vt sic, & ideò depositum, cui hæc repugnant, oportet esse depositum doctrinæ prout sic: & quidem non tantùm depositum, sed quale Timoth. à Paulo exceperat, vtique fidei dogmata, morumq; præcepta importans simul cum intelligentia, veroq; sensu illorũ: non enim Paulus nuda tantùm documenta, ac cruda omnibus enuntiabat, sed suis ornata cõmentis, legitimisq; expositionibus cõdita, saltẽ aliquibus, & maximè tãto discipulo tradebat, vt de plenitudine eius cæteri posteà acciperẽt: iuxta illud Quale depositum, quod Paulus Timotheo tradidit.

illud ad eundem, e quæ audisti à me hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Cùm igitur non minus referat verum dogmatis sensum quâm dogma ipsum: siquidem vita dogmatis, & omnis eius virtus, imò essentia, & quidditas, sensus est: consequens est, multa necessaria ad salutem Paulum voce tenus Timotheo communicasse, vt postea ipse de ore in ós traderet, & inde traditiones erumperent: maximè cum istud deposi tum Episcopis omnibus, Doctoribusque credatur, vt in alios effundant eadẽ qua illud receperunt verborum pretiositate: iuxta quæ post Irenæum vbi su prà, & alios meminit idem præfatus Vincentius Lirinen. sic præmissi elogij enarrans literá: f *O Timothee, ò Episcope, ò Sacerdos, ò Doctor, custodi propter fures, & propter inimicos depositum, id est, doctrinam sanam, quæ tibi, quasi Episcopo, credita est; aurum accepisti, aurum redde, ne plumbum, ne etramenta supponas: eadem, quæ didicisti, ita doce, adorna, illustra, vt cum dicas noue, non dicas noua, nolo auri speciem, sed naturam planè.*

e Epist. 2. c. 1. v. 10.

f Vbi suprà, c. 26

g Lib de præscrip. cap. 25.

Obijciũt hæretici Tertull. sed retundit ur in eos.

71 Neque obstat, quod obijciunt hæretici, videlicet, Tertullianum g per ly *depositum* intellexisse sanam, sacrámque doctrinam: at non aliam præter scriptam. Suppositio enim ista falsa est: siquidem quod Tertullianus vult nihil aliud est, quam hæreticos ex hoc elogio non posse licentiam præripere inducendi doctrinam aliquam contrariam scriptæ: quia incredibile est Apostolos aliud scripto, aliud verbo docuisse. Verba Tertulliani sunt: *Quid autem præceptum, aut quæ denunciatio ex se, aut ex infra scriptis intelligetur, non nescio quid subostenditur hoc dicto de remotiori doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam quam audierunt ab ipso.* Ecce qualiter non excludit doctrinam auditu tantùm exceptam, sed expresse ait, doctrinam sanam regulandam esse per doctrinam auditu exceptam ab Apostolis, & simul examinandam an dissentiat à doctrina scripta; maximè quod Tertullianus totus in asserendis traditionibus non scriptis est, vt videbitur cap. 12.

Regula credẽdorum, & agendorum vnica doctrina auricula tà.

72 Item faciet eiusdem Pauli illud: h *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, in fide, & in dilectione in Christo Iesu.* Cuius sensus est: firmiter, & inflexibiliter tene omnis sacræ Scripturæ doctrinæque, siue circa credenda, siue circa operanda exemplar, normam, & regulam, quam à me audisti. In præsenti enim Paulus apertè refundit rationem regulæ credendorum, & agendorum in doctrinam aure præceptam, non quod quasi scripturam ab huiusmodi repudiet regula, sed quoniam, quæ scripta est, prius verbo fuit tradita, non secus atque illa quam nusquam sacra charta tenuit, quare communi auditus voce fuit vsus, vt vtriusque generis doctrinam explicaret; vtraq; enim fuit verbo enunciata, non tamen scripta.

h 2. Ad Tim. 1. 13.

Comĩdatur doctrina auditu: quæ est traditio.

73 Et confirmat illud elogium sequentis capitis, quod sic habet: i *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus.* Hoc est, virili, ac robusto sis corde, fultus Christi gratia, vt sic quæ me multos, & inter multos audisti docentẽs, perpetuo doceas, ac prædices: ita Theodoretus. Vbi palàm adstrinxit, atq; amandauit Timotheum, non quidẽ scriptis, sed auditis, vtpotè quod audita latius patent, quâm scripta, & voce ista implicantur omnia. Ob id enim tantùm potuit hic, & vbi supra abstinere à voce scripturæ, & vti voce auditus.

i 2. Ad Tim. 2. 2.

Multa chartis digna sunt voce tantùm tradita.

74 Demũ (vt iã præterea pleraq;) fauet illud Ioan: k *Plura habens verba scribere, nolui per chartam, & etramentum; spero enim me futurum apud vos, & ad vos loqui.* Hic enim Ioannes aperit plura chartis, ac membranis digna, consulto viuæ voci commisisse, ac reseruasse: quod etiam Paulus fecit dicẽs: l *Hæc tibi scribo sperans me venire ad te cito,* id est, hæc tantũ scribo, cætera autem non scripto, sed tantum viuæ vocis spiritu relinquo tradenda.

k 2. Ioan. v. 12.

l 1. Ad Tim. 3. 14

Non omnia à scripturis petenda.

75 Hæc autem siue fuerint dogmata morũ ac fidei, siue dogmatum vtrorumq; legitimæ explicationes, ac sensus, siue vtramq; collectiuè, nihil refert: saltẽ elicitur fuisse ex his, quæ magnũ in rebus fidei operæ pretiũ habẽt, & quæ præsentiã Apostolicã, pariterq; prædicationẽ requirebãt, & tandẽ, quæ non

scripto;sed voce tenus tradita sunt:aut saltem de quibus per scripturas non constat scripta esse,bene tamen viua voce enunciata, quæ sanè perstringit multum hæreticos,inflexibiliter constituentes nihil de rebus fidei asserendum esse,aut negandum,nisi prout,constiterit ex literis sacris:ex quibus certè nullum,vel tenuissimum vestigium apparet,quod hæc (de quibus Ioannes Paulusque) scripto tradita sint,bene tamen quod voce. Non ergo omnis reuelata doctrina in scripturis est; sed aliqua nec minima pars,ore tantùm, ac voce prolata. Hæc autem est quam hic nos traditionem vocamus.

CAPVT NONVM.

Ostenditur ex rescriptis Pontificum tradiones diuinæ.

Ostenditur pars affirmatiua, ex Fabiano Papa.

76 Ost sacras Scripturas habemus Summorum Pontificũ rescripta luculentissima pro diuinarum traditionum veritate,& authoritate.

Etenim Fabianus I. ita inquit: a *Cura est vestræ sollicitudini adhibenda, vt quæ sunt ab Apostolis ordinata, nulla præsumptione perturbentur.* Constat autem Apostolos aliqua ordinasse verbo tenus,vt patet ex supradictis. Nec valet aduersariorum effugium, videlicet, hanc definitionem non esse circa dogmata, sed tantũ circa ritus,vtique circa ritum de conficiendo chrismate singulis annis. Nõ inquam valet. Tũ quia propositio Pontificis vniuersalis est, etiamsi inducta pro causa particulari:tũm quia etiam ritus cadunt sub præcepto, & important fidei dogmata:nam fidei dogma est,quod huiusmodi ritus sunt populo salutares.

a *Epist. 2. ad Episcopos orientales.*

Ostenditur idem ex Inoc. I.

Ostenditur pars affirmatiua, ex Symmacho.

77 Deinde Innocentius *I.* sic ad Decentium, & Victoricum scribit: *b Si instituta Ecclesiæ,prout sunt ab Apostolis tradita,seruare vellent Sacerdotes,nulla diuersitas in ordinibus ac consecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisque non quod traditum est,sed quod sibi placet,æstimat,tenendum,diuersa in diuersis locis habentur.* Et est notandum,quod loquitur de traditionibus non scriptis, vt patet ibidem cap.3. vbi constituitur confirmationem paruulorum à solo Episcopo sub certa verborum forma esse conferendam.

b *Epist. 1. & 2.*

Ostenditur idem ex Sixto III.

78 Tertiò Symmachus I. sic ait: c *Quando Patrnarum regularum despiciũtur inuenta, necesse est, huiusmodi impietatem prouenire ex defectu fidei*, quod sanè verbum magno malo multorum hodie, sivsquã, experimur in nouatoribus, & sectarijs enixè reluctantibus diuinis constitutionibus, non secus ac dogmatibus fidei:quod prætextu purioris religionis id se facere iactent.

c *Epist. ad Laurẽtium Episcopum Mediolanen.*

Ostenditur pars affirmatiua, ex Leone *I.*

79 Quartò Sixtus III. epistola ad Antiochenum Episcopum citata à Vinc, d. *Perspicua maiorum fides, & credulitas nulla permistione turbetur* Hic enim adhortatur Pontifex insectanda per omnia vestigia maiorũ in rebus,ac propositionibus fidei.

d *Apud Vincent. Lirin. cap. 43.*

Ostenditur idem ex Leo. II.

80 Quintò Leo I. e ita constituit: *Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam eruditionis (alias traditionis) esse diuinæ: & quidquid ab Ecclesia in consuetudinẽ deuotionis est receptum de traditione Apostolica, & de Spiritus Sancti prodire doctrina.*

e *Sermone de ieiunio, cap. 4.*

Cultus sacrarũ imaginũ habetur in Ecclesia, ex diuina traditione.

81 Sextò Leo II. f Deo gratias agit, & Imperatori fœlicia precatur quia per eius à Deo inspiratum studium,per totum orbem terrarum Apostolicæ traditionis pietas flagraret.

f *Leo II. epist. ad Constant. IIII.*

82 Septimò Adrianus I. ad Carolum Magnum: g *Nequaquam nos quispiam terminos Patrum nostrorũ transgredi valebit facere:sed in ea orthodoxa fide,quã accepimus manentes, & traditiones amplectantes erimus.* Est notandum,quod loquitur de cultu imaginum pertinente omnino ad traditiones non scriptas.

g *Lib. pro defen. 7. Conc. generalis.*

Octauò

Fideles abhæretici baptizati non rebaptizãtur in Ecclesia ex eadẽ traditione.

83 Octauò, Greg. Magnus: h *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt baptizati apud hæresim in nomine Trinitatis cũ ad Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ renocentur.* Id est, ab hæreticis baptizati rebaptizandi non sunt: quod tamen ad traditiones non scriptas pertinet. h Lib. 9. regist. epist. 61.

84 Denique Innocentius III. i *Non est dubitandum, quin Ecclesia hæc ab Apostolis susceperit: neque obest quod in Euangelio non habeantur: quia multa sunt in Euangelio omissa, quæ per Apostolos sunt suppleta scripto, & verbo.* i Dist. 4.

Cõcluditur ex rescriptis Pótificũ veritas traditionum sacrarum.

Exploratissimum igitur est iuxta rescripta Pontificum intra Ecclesiam vigere traditiones non scriptas.

CAPVT DECIMVM.

Ostenduntur ex Concilijs sacris traditiones diuinæ.

Ostẽdũtur traditiones diuinæ ex Cõcilijs sacris, & Nicænũ primum dãnauit Arriũ ex traditionibus nõ scriptis.

85 Acra item Concilia adeò non scriptis traditionibus deferunt, semperque detulerunt, vt (iuxta Theodoretum a citatum à Bellarminio b) illud toto orbe celebratissimum Conciliũ Nicænũ 1. ex traditionibus non scriptis damnauit, & confutauit Arriũ: non quidem quasi scripturis non posset eum damnare, si veros sensus illarum hæreticus admisisset, sed quia hos nullatenus admittebat, & ipse in aduersam partem aliquas prauè intellectas scripturas citabat: quare opus fuit ad non scriptas traditiones recurrere, quæ sacrarum Scripturarum certum legitimũq; sensum referebant. a Lib. 1. hist. cap. 18. b Lib. 4. de verbo Dei non scripto, cap. 6.

Monet Tertuli. hæreticos doctrina nõ scripta cõfutandos.

86 Idcirco Tertul. c monuit, hæreticos doctrina non scripta confutandos, quoniam aduersus scripturã magnis semper cauillis sese muniunt, & rarò veros sensus agnoscunt: vt patet modò in demonstratiua propositione illa, d *Hoc est corpus meum*: quæ licet per seipsam clareat, adhuc tamen nouiores hæretici in adulterinos sensus illam intorquent, & verum germanũq; procaciter confundunt, & abnegant: quare fuit opus Catholicis legitimam interpretationem illius traditione non scripta probare. Et idem est de similibus propositionibus scriptis, quarum interpretationes germanæ non in confesso, sed potius in controuersia, saltem apud hæreticos sunt. c Lib. de prescriptionibus. d Matth. 26. 26.

Conciliũ Mediolanen. sapro traditionibus diuinis.

87 Concilium item Mediolanen. e sic de sacris traditionibus agit: *Dementissimæ mentis est, qui Apostolicas traditiones, & venerabilium Patrum instituta deprauare festinat: nos autem omnes pari tenore, & reuerentia traditiones Apostolorum volumus suscipere, amplecti, & prædicare.* e Epist. ad Constant. IIII. Imp.

Cõciliũ Nicænũ secundũ.

88 Conciliũ præterea Nicænum 2. *Fatemur vnanimiter nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes, de quarum numero est imaginum effiguratio.* f Action. 7.

Synodus generalis 8. cañ. 1.

89 Synodus 8. generalis: g *Regulas, quæ Catholicæ Ecclesiæ ab Apostolis traditæ sunt, seruare, atque custodire profitemur: & illis propriam vitam, moresque regere: quia præcepit Paulus, h vt traditiones seruarentur, quas siue per sermonem, siue per epistolam accepimus.* g Can. 1. h 2. Ad Thessalonic.

Consil. Valen. III.

90 Concilium necnon Valen. III. i differte vult omnes traditiones à Patribus relictas intemeratè custodiri. i Cap. 1.

Concilium III. Coloniense.

91 Concilium III. Colonien. K statuit, vt populus doceatur sanctorũ Patrum regulas sequi, Ecclesiasticasq; traditiones diligenter admodum obseruare, vt à Patribus traditæ habeantur. K Cap. 1. p. 9.

Concil. Augustodonense, & Moguntinum IIII.

92 Concilia Augusten. l & Mogunt. IIII. m districtè præcipiunt traditiones nõ tanquam hominũ instituta, sed potius tanquã diuina seruanda esse. l Can. 2. m Can. 48.

n Sess.4.

93 Denique Concilium Trid. *n* pro verbo Dei ore Christi prolato, vel Apostolis ab Spiritu Sancto dictato, & continua in Ecclesia Catholica successione conseruato, definit traditiones, & huic veritati repugnantes anathemate percutit. Liquet ergo iuxta Concilia sacra extare traditiones diuinas. Côc. Trident, definit. traditiones sacras: & repugnâtes percutit anathemate.

CAPVT VNDECIMVM.

Ostenduntur traditiones diuinæ doctrina Patrum Græcorum.

a Apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 36

b Vbi suprà.

94  Ancti similiter Patres perspicui, perpetuique in hac parte sunt, maximè Græci. In primis enim D. Martyr Ignatius *a* ab Apostolis in sacris eruditus singulas ingrediens ciuitates Ecclesiæ populos adhortabatur, vt Apostolicis traditionibus perpetuò inhærerent: iuxta quæ ex ipso retulit Euseb. Cæsarien. *b* Neque obest, quod iuxta eundem Eusebium Ignatius Episcopus martyrio proximus traditiones istas literis consignauit (quod hæretici obijciût) non enim id fecit quasi necessarium simpliciter ad rationem traditionis sacræ; alias quamdiu scriptæ non erant nequaquam obtinuissent rationem traditionis diuinæ omnino obseruandæ, sed quasi conducibilius pro beneficio memoriæ: scriptura quidem licet, quoties lubet, lapsam memoriam reparare, renouare, & instruere: maximè quod cum his non obstantibus traditiones istæ scriptæ quantumuis sacræ, tamen scriptura non sunt, vtpotê exaratæ à non sacro canonicoque scriptore Ignatio, perinde est, ac si nusquã exaratæ fuissent: non enim traditiones diuinæ appellantur non scriptæ, quasi nusquam inueniantur scriptæ, sed quia non habentur scriptæ in Scriptura sacra: iuxta quæ ex professo cap. 1. monuimus. Ostenditur pars affirmatiua ex Ignat. Martyr. Quare diuinæ traditiones verba Dei non scripta dicantur.

c De Ecclesiastica hierarchia, c. 1.

d Hom. 34. in Euang.

e In suo duce viæ.

f Maximus Damasc. Andreas, Cyrillus Origen. Athanas. Nazianc. Sofronius, apud Vindicias Martini del Rio, & apud Gretserum in defens. Bellarm. lib. 4. c. 8. de verbo Dei.

g Can. 1. apud Turriani vers. ex Arabico.

h Epist. de peccato in Spiritum Sãctum, & lib. contra Arrianos.

96 Deinde Dionys. Areopagita ita habet: *c Necessario itaque primi illi nostri Sacerdotalis muneris duces summa illa, & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus tradiderunt.* Quid illustrius, quid euidentius? Sanè adeò perspicuum huiusmodi elogium est, vt aduersarij tantùm tentauerint contra eum, quod Dionysij non est: & non tantùm vt spurium, & supposititium elogium hoc calumniantur, verùm & totum hunc librum in quo scriptum habetur. Mouentur autem ex eo, quod Erasmus, Caietanus, Laurêtius Valla, & nescio, qui alius, ausi sunt negare libros Dionysio adscriptos verê illius esse: hoc ducti argumento, quod nullam de illis neque Eusebius neque Hieronymus mentionem fecerunt, qui tamen in Cathalogum reposuerunt vniuersos cuiuscumque momenti Ecclesiasticos scriptores. Sed certè effugium hoc inualidum est: nam si heri, & nudius tertius prodierunt vnus, & aliter, qui huiusmodi libros adulterinos, nothosque euulgarunt: diu tamê multum est; quod maximi, & eximij Ecclesiæ Patres illos tanquam Dionysij fœtus, lucubrationesque venerati sunt, vtique Greg. Magnus, *d* Anastas. Patriarcha Antioch. S. Maximus, *e* Damasc. *f* Monachi; Andreas Cretensis, & alij, qui ante octingentos, nongentos, & mille annos floruerunt: imò à Cyrillo Alexandrino, Orig. Athanas. Nazianc. Sophronio, & tandem ab ipso Concilio Nicæno, *g* agniti recepti, & euulgati sunt. Ostenditur eadê par affirmatiua ex Dionys. Vtrùm liber do cœlesti hierarchia sitve re Dionysij Areopagitæ? vsq; ad nu. 99. inclusiue

98 Neque obstant, quæ de Eusebio Hieronymoque obijciuntur: quoniam cum Euseb. non tantùm Arrianus esset, verum Arrianorum patronus (vt Hier. habet) potuit nô inconsulto declinare occursû libri, vel solo aspectu Arrianã hæresim infringentis, ac labefactantis; vt propter eandê rationê silêtio inuoluit scripta antiquissimi atq; præstãtissimi illius Theologi nomine Theognosti, de quo Athanas. *h* magna encomia. Hierony. autê nô debuit imò nec potuit iuxta institutû suum huius libri mentionê inserere, quia ipse Cur Euseb. non meminerit librorum Dionysij Areop.

non

non omnium Ecclesiasticorum scriptorum professus fuit cathalogum texere sed illorum dumtaxat, quos ab Eusebio recensitos vidisset, illis tantùm superadditis, qui post Eusebij obitum vsque ad sua tempora floruere, vt patet ex verbis eius præfatione ad Dextum. Et licet antiquiores alij videantur innexi Hieronymiano cathalago, id autem non Hieronymi, sed Sophronij industriæ tribuitur: fuit autem Sophronij studium prætermissos scriptores, tàm ab Eusebio, quàm à Hieronymo perquirere, & inuentos ordine ponere.

Facile olim curiosos quoscunque præteribat quilibet eximius liber.

99 Præterquam, quod nulla repugnantia relucet in eo, quod scriptores, aliqui etiam grauissimi Eusebij manus, atque etiam Hieronymi subterfugerint; maximè temporibus illis quando prælo nihil mandabatur, sed omnia, quæ in lucem veniebant, manuscripta comprehendebantur. Quare potuit Sophronius post aliqua tempora adinuenire volumina, quæ illi non inuenerunt. Nullum igitur authoritatis pondus in sententia recentiorum est contra antiquissimorum Patrum iudicium celeberrimum: & proinde leuissimus erit, qui grauissimorum Patrum spreto iudicio leuiorum Grammaticorum sententiæ subscribat, maximè recentiorum.

Patres Græci vnanimiter profitētur traditiones sacras à num. 94 vsq; ad 121.

100 Tertio Papyas i tale testimonium præstitit. *Si quis presbyter fortè mibi occurrebat, qui cum Apostolis conuersatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter scitscatabar: neque enim ea, quæ ex libris petebantur tantùm mibi subsidij allatura existimabam, quantùm ea, quæ acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.* Quid etiam hoc testimonio præclarius? i *Lib. 4.*

101 Hegesippus k luculentissimum de his testimoniũ protulit, cũ Apostolicas omnes traditiones quinque libris comprehendisse feratur. Per hæc enim apertissimè ostendit Apostolos eas in literas nõ misisse. Nec valet aduersariorum effugium, videlicèt traditiones istas esse omnino illas quas iam Apostoli scripserant, aut saltem eas quæ probari possunt ex scripturis. Contra enim est: quod primum esset omnino actum agere, imò tempus ludere: nam quid Ecclesiæ opus erat scriptura Hegesippi vbi suppetebat sacra? Secũdum item absque authoritate profertur: nam si Eusebij textum contulimus, tantùm inueniemus traditiones illas fuisse scripturis consonas: quod proculdubio verissimum esse constat, siquidem semper verum vero consonat; at non propterea omne verum potest per scripturas ostendi. k *Apud Euseb. lib. 4. hist. cap. 8.*

Pars affirmatiua ostenditur ex Hegesippo.

102 Quinto Polycarpus, l referebat formalia ipsa Christi Domini verba ad discipulos, prout ab eisdem audierat Apostolis: itemque referebat multa de Christi virtutibus, atque doctrina eius: rursumque quod hæc audiens Irenæus corde scribebat, & discutiebat illa. Signum igitur est, à primis illis temporibus veras Apostolicas traditiones vigere: siquidem Polycarpus non loquebatur de verbis Domini iam tunc scriptura comprehensis, alias non fuisset Polycarpi ab ore pondere opus Irenæo, & auditas ab illo narrationes corde includere, & scribere, ne exciderent; sed sufficeret scripturas scrutari, sed loquebatur de verbis doctrina, ac virtutibus Christi nondum scripto enarratis. l *Apud Euseb. li. 5. hist. cap. 20*

Pars affirmatiua ostenditur ex Polycarpo.

Idé ostēditur ex Iustino Martyr.

103 Sextò Iustin. Mart. m aliquas non scriptas expresse retulit traditiones obseruatas, & obseruandas, vtique quod fideles conueniant singulis diebus Dominicis, & quod post lectionem scripturarum offeratur, & consecretur panis, & vinum aqua temperetur. Signumq; est, quod Iustini temporibus traditiones diuinæ vigebant. Nec valet dicere cum hæreticis, quod in Apocalypsi habetur mentio de dominico die. Quid enim hoc refert? siquidem de celebratione illius nulla ibi fit mentio, nec de concursu, & confluentia fidelium in vnum locum. Et licet celebratio diei Dominici fortè insinuetur alibi, v.g. in Epistola Pauli ad Corint. vbi legitur, *Per vnam sabbathi vnusquisque ad se seponat.* Vbi Chrysostom. & Ambr. per vnam sabbathi intelligunt Dominicam diem. At nihil de ritu conueniendi disponitur. De alia item traditione à Iustino relata numquam inuenitur apud scripturas verbum. Ex quo sequitur esse mere traditionem non scriptam. m *In apologia 2. pro Christianis.* *1. Cor. 16. v. 2.*

Subdit

104 Subdit præterea Iustinus. *Postridie Saturni, qui dies est solis, cum Apostolis, discipulisque apparuisset Christus, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda præmittimus.* Hoc est post resurrectionē Christum Apostolis & discipulis apparuisse, & docuisse illa, quæ obseruari debebant in sacris obeundis. Cum igitur hæc scripta non habeantur, consequens fit, esse traditiones non scriptas. Idem ex eodē cōfirmatur

n Lib. 3. cap. 2. 3 & 4.

105 Septimo Irenæus n adeò multus in hac parte inuenitur, vt vel ipsi fateantur hæretici, quod iuxta eum prouocare liceat à scripturis ad Ecclesiam atque traditiones Apostolicas, imò hæreticos non tàm ex scripturis, quàm ex traditionibus refellendos; ait enim, *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestam in Ecclesia esse, adest perspicuè omnibus, qui vera velint audire:* sic cap. 3 & rursum cap. 6. *Si de aliquo disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostolis cōuersati sunt, & ab eis sumere de præsenti quæstione quod certum & liquidum in re ipsa est?* Idem ex Irenæo.

Idem cap. 6.

106 Addunt tamen hæretici causam nihilominus nostram ab Irenæo nō coadiuuari, quando ille rem tantum gerebat contra hæreticos calumniantes sacras scripturas, & ideo ad traditiones confugisse, quia illæ tantum superarant quibus posset causam finire. At si traditiones non scriptæ nullius ponderis sunt, quomodo Irenæus prouocauit ad illas? Cū igitur prouocauerit, & illis aduersarios perstrinxerit, consequens est, quod secundum Irenæi mentem traditiones non scriptæ magni pretij sint ad quæstiones & controuersias in rebus fidei definiendas. Occurrunt hæretici Irenæo sed occursus occluditur.

o Li. 5. strom. c. 2

p Idē lib. 7. strō. cap. 9.

q Idem apud Euseb. lib. 6. hist. c. 11.

107 Octauo Clement. Alexan. loquens de Apostolo Paulo præfatur o *cognitionis ædificium in Epistola quoque ad Romanos tacite significans inquit cap. 1. Desidero enim videre vos, vt aliquid vobis donum impertiar spiritale, vt vos confortemini, nō poterant aperte literis scribi eiusmodi dona.* Et rursum. *Quomodo si quis ex homine fiat bestia, ita homo perdit esse fidelis Domino, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauerit traditionem.* Et alibi q dicit, extorqueri sibi à fratribus, vt in libro describeret, ac posteris traderet ea, quæ voce sibi sola tradita essent à presbyteris successoribus Apostolorum. Consequens igitur est, multa magni ponderis tunc temporis extra literas fuisse: nā quidem pro leuioribus rebus non sic familiares Clementem impellerent ad scribendum. Ostenditur pars affirmatiua ex Clemē. Alexan.

r Ho. 5 sup. num.

108 Nono Origines r postquam retulit aliquas traditiones non scriptas, videlicet, quod orantes flectant genua, & quod aduersus plagam orientalem prospiciant, & quod sub speciali ritu Eucharistia sumatur, subijcit: *Omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cum ita impleamus & exequamur ea, vt à magno Pontifice atque eius filijs tradita & commendata suscepimus.* Idem ex Origine ostenditur.

s Idē tract. 29. in Matth.

t Idē sup. ad Rom. 6.

v Idem procemio in lib. de principijs.

109 Et rursum: s *Nos exire à prima & Ecclesiastica traditione non debemus neque aliter credere quàm per successionem Ecclesiæ tradiderunt nobis.* Et alibi: t *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dari.* Et iterum: v *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.* Idem ex eodē cōfirmatur

110 Neque obstant errores quos aduersarij contra Originem notant & obijciunt, vt eius authoritatem in hac parte eleuent: quoniam inter lapsus Origenis nullus vsquam fidelium recensuit Apostolicarum traditionum doctrinam, maximè quod adhuc sub iudice apud multos est, an errores illi ab ipso Origene, an à deprauatore aliquo inserti fuerint. Obijciūt hæretici Origeni suos errores, sed abs re.

x Li. 10. de mōst. Euang. cap. 8.

y Idem Lib. contra Marcellū Episcopum Ancira num.

111 Decimo Euseb. Cæsarien. x *Moyses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus perfecta noui testamenti documenta descripsit, eius autem discipuli ad imbecillitatem multorum se dimittentes, partim literis, partim sine literis quasi iure quodam non scripto seruanda commendarunt.* Et alibi y *Ecclesia à finibus terræ vsque ad fines ex diuinis scripturis testimonijs ex non scripta traditione confirmat.* Hæc autem Eusebij testimonia adeo perspicua sunt, vt aduersarij nihil caliginis obducere tentauerint, sed illi tantum obijciunt, quod propositionibus suis contrarium & repugnantem Ostenditur pars affirmatiua ex Euseb. Cæs.

gnantem sacris scripturis se fecerit. Verum tamen cōuicium hoc aut si mal lis effugium pari possent iure eff tiri contra vniuersa elogia relata in suffra gium nostrum, & tunc quidem satis superque neruos veritatis infringerent, ne doctrina de traditionibus stare, aut consistere posset: sed ô insensati hæretici, qui vos fascinauit?

Ostenditur idem ex Atha.

112 Vndecimo Athanasius sic contra Euseb. alloquitur, z *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstramus*; vtique sententiā de cōsubstātialitate filij cū Patre eterno quæ dogma fidei ex potissimis est. Neq; obstant aduersariorū tendicula dicentium, Athanasium hic fuisse loquutum non de re consubstantialitatis, sed tantum de nomine Homousion, quod tamquam nouitium & nuper in illo Concilio Nicæno excogitatum Arriani refellebant; cum tamen re ipsa priscum esset, & ab antiquioribus Patribus traditione acceptum. Non quidem obstant: quoniam eadem prorsus est vis nominis atque sensus illius: quare in idem vergit ostendere traditionem nominis in hac parte atque quid rei, quia idem est prædicari de Filio *Homousion*, atque confiteri eum consubstantialem Patri, quod Arriani diffitebantur, Catholici verò affirmabant.

z *In decretis Concilij Nic. contra Eusebium.*

Idem ostenduntur ex Basil.

113 Duodecimo Basilius, a *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus, quarum vtraque parem vim habent ad pietatem.* Egregium sane oraculum, ac locupletissimum testimonium.

a *Basilius lib. de Spiritu Sancto c. 27.*

Occurrunt hæretici Basil. sed refelluntur.

114 Nec valet quod primo loco aduersarij respondent, videlicet, Basilium hic loquutum fuisse non quidem de essentialibus ac substantialibus requisitis in fide, sed de leuioribus tantum, hoc est, nō fuisse loquutum de dogmatibus fidei ac morum, sed tantum de Ecclesiastibus ritibus, quales ipse in exemplum adduxit, nimirum nos fronte signare, erecti preces fundere, & conuersi ad orientalem plagam orare, atque similia.

Non inquā valet, quoniam præterquam quod in huiusmodi ritibus cōtinentur fidei dogmata, v. g. resurrectionis, & alia quæ ibi apertissimis verbis sanctus induxit: ipse palàm ait: *Omitto cætera, ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus habemus scriptis?* Quid autem essentialius in dogmatibus fidei dogmate isto Trinitatis? Agit ergo Basilius de essentialibus ad fidem in prædicto capite.

Horum hæretici occurrunt Basilio & iterum reijciuntur.

115 Neque iterum valet, quod iterum ridicule objiciunt irrisores isti sectarij, nimirum doctrinam hanc de traditionibus Apostolicis vere non esse Basilij, sed alicuius score Basilij deprauatoris: tum quia id præuidit & præmonuit Erasmus sagacissimus Patrum æstimator: tum quia ex opposito sequeretur Basilium secum pugnare, vt potè qui aliquando constituit in scripturis reperiri omnia necessaria ad salutem.

Non inquam valet, tum quia ex omni vetustate codices tàm Græci quàm Latini hanc vniformiter referunt traditionum doctrinam: tum quia ex oculatioribus Patribus nullus vnquam subolfecit tale assumentum; tum quoniam instituto Basilij b opus omnino erat recurrere ad authoritatem Apostolicarum traditionum, eo quod non per scripturas, sed per traditiones ostendere habebat dictionem istam, *in*, & dictionē istam, *Cum*, Spiritui sancto competere, ita vt congrue posset dici, *Gloria Patri, & Filio in Spiritu Sancto*, & *Gloria Patri & Filio cum Spiritu Sancto.*

b *Epist. ad Eustamedicum.*

Erasmus retunditur.

116 Neque obstat Erasmi sagacitas, quæ sæpe calliditas, malignitasque inuenitur, maximè in re ista, quam videmus Damasceni c calculo ante nongentos ab hinc annos probatam: Damascenus autem Erasmo consultior & visu acutior, quod fuerit quis ambigere poterit? saltem quia purior atque defecatior eius extitit anima: Cum in maleuolam animam non possit introire sapientia, Sapien. 1. Neque item obstat, quod de scripturis Basilius aliquando protulit: quoniam illud non pugnat cum isto: verum equidem est, in scripturis reperiri omnia necessaria ad salutem, quatenus nihil essentiale est, quod ipsæ

c *Orat. 1. profestris imaginibus.*

Sap. 1. v. 4.

ipsæ non referant, vel per se, vel per traditiones, ad quas ipsæ nos reijciunt: iuxta dicta in præsenti cap. 5. 6. 7. & 8.

d Orat. 1. in Iulian.

117 Decimotertio Gregorius Nazian. *d* postquam dixit propter dogmata testamenti veteris & noui, doctrinam Ecclesiæ visam fuisse mirabilem Iuliano apostatæ, addidit. *Cæterum maiorem atq; insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras quas traditioni acceptas in hunc vsque diem seruamus.* Id est, Iuliano visam fuisse Ecclesiam mirabiliorem propter traditiones non scriptas, quàm propter sacras ipsas literas. Explicatque Gregorius quidnam subintellixisset per figuras Ecclesiæ, hoc est, formam & œconomicam illius, scilicet disciplinam politicam, ordinem psallendi, modum pœnitentiæ importandæ, sacraria in templis, monachatum, virginum cœnobia, & alia multa quæ ex sola traditione non scripta habentur & obseruantur, quæ omnia Iulianus voluit suos ethnicos æmulari, vt eo modo Christianos facilius traheret ad paganismum. Ostenditur pars affirmatiuaex Gregor Nazian.

116 Neque obstant quæ contra hæc obijciunt hæretici blaterantes Nazianzenum de solis ritualibus; non autem de essentialibus loquutū esse, & adhuc non ex mente propria sed ex Iuliani sententia. Contra enim est, primô, quod saltem gubernatio Ecclesiæ, à quā eius conseruatio dependet vnum ex potisimis, maximeq; essentialibus est. Si igitur hæc gubernatio traditione accepta asseritur, consequens est, essentialia etiam per non scriptas traditiones haberi. Secundô, quia Nazian. ipse asserit, Quas traditiones acceptas in hunc vsq; diem seruamus Loquitur ergo Nazianz. ex mente propria & profitetur se traditionibus istis simul cum Ecclesia catholica (cui Iulianus inuidebat, & quam tantopere mirabatur) obsequium præstitisse. Insurgunt hæretici cōtra Naz. sed incassum.

e Sup. 2. ad Thessal. 2.

f Psalm. 95.

119 Decimoquarto Chrys. Theoph. & Oecumen. *e patet quod non omnia per epistolas tradiderunt Apostoli, sed multa sine literis: eadem verò fide digna sunt ista quàm illa.* Quid illustrius? Neque obstat quod aduersarij Chrysostomo obijciunt, nimirum quod dixerit. *f* Auditorum cogitationem claudicare si aliquid absque scriptura dicatur. Hoc enim elogium & similia procedunt de scriptura non in ratione scripturæ, (quæ ratio materialis & per accidens admodum est) sed in ratione reuelatæ doctrinæ, quæ est tota authoritas & dignitas scripturæ, quæ ex æquo descendit ad omnia diuinitus reuelata, siue scripto siue non scripto accepta. Pars affirmatiua ex Chrys. ostēditur.

g Lib. 1. paschalis cap. 3.

h Lib. 5. hist. c. 8

120 Decimoquinto Theophilus Alex. *g* in lib. Pasch. diserte docet legē ieiuniorum esse Apostolicam traditionem. Et licet aduersarij contendant non Apostolos, sed Montanum hæreticum constituisse legem ieiuniorum apud Euseb. Cæsarien. *h* & proinde falsitatis arguere Theophilum: cui etiam obijciunt, quod non tantum indixit abstinentiam à carnibus, sed etiam à vino tempore ieiunij. Hæretico tamen spiritu decipiuntur, quoniam Euseb. non facit Montanum Ecclesiastici ieiunij authorem, sed cuiusdam alterius ieiunij, quod suis indixit Montanus sectarijs. In hoc etiam, quod obijciunt ei de abstinentia à vino, non officiunt: quoniam abstinentiam vini non indixit vt essentialem ieiunio, sed tantum vt accidentalem & ad melius: Idem ex Theoph.

i Cathechesi sup.

Decimosexto Cyrillus Hierosolymitanus, *i Videte itaque fratres, vt seruetis traditiones, quas nunc accepistis, & in corde scribite, vt cum pietate custodiatis eas.* Est autem notandum, quod in catechesibus illis mistagogycis nihil amplius Cyrillus facit quàm explicare traditiones non scriptas de baptismo & alijs sacramentis. Cum ergo postea præcipit, vt cum omni pietate scriberentur, consequens est, quod illas religiose veneratus est, & venerandas sensit. Idem ex Cyrillo Hierosolym.

Neque obstat, quod catechesi quarta illuminatorum dixit, *De diuinis & sacris mysterijs nihil, ne minimum quidem sine scriptura est statuendum.* Quoniam non sine scriptura statuitur, quod per illam proximè, vel mediatè decernitur; ex scripturis siquidem habemus traditiones esse, & venerandas esse, audiendas scrutandas, & obseruandas, tamquam diuina verba. Quemadmodum non sine

fine Rege stabilitur, quod vel immediate per Regem, vel mediat e per ministros ad quos subditos legat & amandat disponitur, licet non ad singula fiat particularis singularisque ablegatio, vigente aliqua in communi, vt vigent traditiones non scriptæ in scriptura sacra.

Ostenditur pars affirmatiua ex Epiphan.

122 Decimo septimo Epiphanius, *k Oportet autem & traditione vti: non enim possunt omnia à doctrina sacra accipi, quapropter aliqua in scripturis aliqua in traditione Apostoli sancti tradiderunt quemadmodum dicit Apostolus; sicut tradidi vobis*, & alibi, *l Sic doceo, sic tradidi in Ecclesijs*. Item alijs in locis adeò luculenter hanc veritatem premit, vt propterea hæretici desistãt à machinãdis subterfugijs in eũ cõtẽti exprobrare & obijcere illi: tũ quod fabulosis enarrationibus nimis oblectaretur, tũ quod traditionũ pertinax sit defensor vt Papista: tũ quod cũ heresi 61. dixerit esse Apostolicam traditionẽ nequis post cœlibatus votũ matrimonium contrahat & impium esse aliter qui facit, postea dixit, melius esse illi qui in cursu cecidit vxorem ducere etiam post emissum votum quàm quotidie sauciari. Verum prioris concriminationis falsitas viri probitate eximia eximie redarguitur. Secunda item petulantia potius in Deum authorem traditionum quàm in Epiphanium illarum defensorem redundat. Tertia item fallacia in eo deprehenditur, quod Epiphanius in primo elogio loquutus est de vero voto adstrictis, in secundo verò de illis qui absque obligatione voti constituerunt apud se perpetuam castitatem seruare: ly enim *votum*, aliquando strictè pro obligatione infallibili, aliquando late pro bono rei proposito accipitur: desiderium enim alicuius rei congruentur dicitur votum.

k Heresi 61.

l Idem her. 55. 66. & 75.

Obijcitur Epiphanio & defenditur.

Idem ex Imperatoribus probatur

123 Decimooctauo Imperatores *m* Henricus & Theodosius, Paulus Cõstantinop. *n* Ioannes Cassianus, *o* Cyrillus Alex. *p* Sozomenus, *q* Petrus Diaconus, Iustinus Imp & alij quos refert Iodocus Coccius, *r* traditiones Ecclesiæ eximie commendarunt; maximè inter hos Ioannes Damasc. *s* monachus splendet, vir pietate ac doctrina conspicuus: is enim traditiones istas sic valide valenterque est tutatus varijs in locis, vt propterea hæretici recentiores tamquam in patronum acerrimum propugnatorémque illarum, vltra quam credi potest, in eum debachati fuerint: *Sed beati istis cum vos oderint homines, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me*: dixit summus & maximus traditionum assertor & institutor Christus.

m Imp. l. 2. Cod. Theodosi.

n Epist. ad Armẽ.

o Coll. 21. ca. 12

p Ad Theodos. de recta in Deum fide & in Apostolico t. 1. Concil.

q Lib. 4. c. 16.

r t. 1. thesauri, li. 6. de sacris scrip. art. 32.

s Lib. 4. de fide c. 13. & 17.

t Matth. 5. v. 11.

CAPVT DVODECIMVM.

Ostenduntur traditiones diuinæ ex Patrum Latinorum elogijs.

Ostenditur pars affirmatiua ex Tertul. asserẽte quod oblationes pro defũctis, & pro natalitijs habẽtur ex traditione sacra.



Latini præterea Patres acerrimo traditionibus sacris subsidio ac munimini sunt: apertius enim, atque illustrius in hac parte loquutos atque suffragatos videmus. In primis enim Tertullianus *a* in libro de Corona militis expresse, & ex professo constituit traditiones etiam non scriptas recipi omnino debere, exemploque esse traditiones sine vllo scripturæ instrumento in baptismate Eucharistiæ Sacramento, oblationibus pro defunctis pro natalitijs, de non ieiunando die Dominico, ac de crucis signaculo in fronte: & subdit. *b Harum autem disciplinarum traditio autrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix, quibus & ratio patrocinatur*: & in apologetico, *c Expidite autem præscribimus illam esse regulam veritatis quæ veniat à Christo transmissa per comites ipsius*. Et lib. de præscriptionibus, *d Vbi apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ illic erit veritas scripturarum, & expositionum & omnium traditionum Christianorum*. Et lib. de carne Christi, ita contra Marchionem disitentem carnem humanam in Christo, argumen-

a De corona militis cap. 3. & 4.

b Cap. 4.

c Idem in Apolotico c. 47. n. 592.

d Idem de præsc. cap. 19. num. 112

argumentatur. *Si Propheta es, prænuntia aliquid; si Apostolus, prædica publicè, si Apostolicus, cum Apostolis senti; si tantum modo Christianus es, crede quod traditum est.* Planè subindicans tam genuinum, germanumve esse Christiano credere traditionibus, atq; Prophetis futura prænuntiare & Apostolis prædicare in lucē.

Obijciūt hæretici Tertulli: Montanistā fuisse, sed in cassum.

125 Neq; obstat, quod obijciunt hæretici, scilicet, Tertullianum Montanistam fuisse. Contra enim est: quod traditionum doctrina non fuit à Montano: Irenæus enim & alij Montano antiquiores agnouerunt illas & obseruarunt, vt patet ex cap. præcedenti: tum quia potius Montanus legitur noua quædam ingessisse traditionibus contraria, teste Euseb. Cæsarien. tum quia Tertullianus antequam in Montani hæresim laberetur scripsit librum de præscriptionibus, cui fulcrum ex traditionibus fecit, decernens & omnino constituens hæreticos reijciendos & refellendos esse traditionibus potius quam scripturis, etiamsi scripturas admitterent.

Vnctio baptizatorum & myxtio aquæ cū vino altaris habetur, ex traditione sacra

e Lib. 1. epist. 12
f Idē lib. 2. epi. 3

126 Deinde Cyprianus in lib. Epistolarum inquit. *e Necesse est baptizatos vngi:* & iterum. *f Dominus vino in calice offerendo miscuit aquam.* Hæc autem cum nō in scripturis sint, necesse est traditiones esse, & pro traditionibus coli.

g Idem epist. ad Pomp. cont. epist. Stephan.

Neque obest, quod Cyprianus g aliquando dixerit traditiones omnes reijciendas esse, præter illas quæ habent authoritatem ex scripturis: quoniam traditionum authoritas scripturarum testimonijs fulta ac roborata habetur, vt patet ex supra dictis cap. 5. 6. 7. & 8. Neque rursum obest, quod Cyprianus in præmissa Epistola dixit: hæreticos denuo baptizandos esse, quia licet in hoc errauerit, non continuo sequitur quod errauerit in reliquis. Quare de illo ab Augustino & alijs reprehensus est, non autem de reliquis in præmissa epistola dictis, maximè de traditionibus Apostolicis.

Moyses scripto exarauit veterem legē, mysteria tamen septuaginta dūtaxat doctoribus reuelauit.

h Sup. Psal. 2.

127 Tertio Hilarius, *h* super psalmos dicit, Moysem scripto exarasse veterem legem pro omnibus, at mysteria illius septuaginta dumtaxat doctoribus clanculum reuelasse, quæ doctrina postea in hoc seniorum numero & officio conseruata est. Cum ergo hæc scripta non sint, & tamen sint eloquia diuina, sequitur non scripta aliqua vt diuinitus reuelata haberi. Et vel contra Constantium Imperatorem contendit idem Hilarius ly *Homousyon* recipiendum esse in Ecclesia licet sit extra literas sacras; ex quo sequitur, quod indicauit non sola scriptura vtendum etiam in rebus fidei.

Obseruatio quadragesimæ, & symbolum Apostolorū inter traditiones sacras numerātur

i Ser. 34. de quadrag. & epist. 81
K Idem de his qui initiantur mysterijs cap. 1. & 2.
l Idem serm. 25. serm. 34. & serm. 36.
m Idem epist. 81. & serm. 38.
n Idem lib. 1. exhame. cap. 6.
o Idem lib. 3. c. 3

128 Quarto Ambros. i varijs in locis agnoscit veneraturque traditiones, & illas à scripturis sacris expresse distinguit, & ex professo *K* explicat ritus, qui ab vniuersa Ecclesia seruantur in baptismo, qui tamen scripti non sunt: & in sermonibus aperte docet Quadragesimam præceptam fuisse à Christo: & alibi, *m* constituit symbolū Apostolorū esse traditionem Apostolicā nō scriptā.

Neque obstant aduersarij obijcientes Ambrosio, quod aliquando dixit *satis est ad scientiam, quod diuinarum scripturarum series comprehendit*, & rursum, *n quod sacrarum scripturarum testimonio non didici, hoc quasi secretum prætereo.* Non inquam obstant; quoniam in neutro loco Ambr. de rebus fidei, morum, vel etiam rituum vniuersaliter, imò neque particulariter sermonem habebat, sed in priori de terra simul cum cœlo condita, & in posteriori de aqua operiente illam initio conditionis suæ. De his enim dixit satis esse scire, quod sacra scriptura tradidit, nec opus esse altiora aut remotiora alia inuestigare. Quid autem hæc ad traditiones non scriptas pro rebus religionis & fidei siue in credendo in operando?

Cæremoniæ aliquæ baptismatis ex sacra tradítione vim legum habent.

p Contr. Luciferos cap. 4.

129 Quinto Hieronymus, *p multa quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur authoritatem sibi obtinuerunt legis, veluti lauacro ter caput mergi deinde lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem multaque alia quæ scripta non sunt,* & in epistolis docet quadragesimam esse Apostolicam traditionem.

q Liq. contr. Donatistas.

130 Sexto Aug. ait q *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Cōcilijs restitutū, sed semper retentū est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Et ad inquisitiones

Pars affirmatiua ex Augustino.

tiones Ianuarij. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quia quidem toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs (quorum est in Ecclesia saluberrima at per omnia obseruanda authoritas) commendata atque statuta retineri.*

Nec valet hæreticorum glosomma interpretantium hæc de leuioribus ac minoris momenti rebus; quia in his tantum posuit exempla Augustinus. Nō inquam valet; quoniam August. expresse dixit talia hæc transire in naturam legis scriptæ. Non ergo loquebatur de ritibus minoris momenti, sed de his quorum obseruatio est necessaria ad salutem sicut mandatorum omnium grauioris momenti. Et licet nō semel Augustinus constituat nihil sine scriptura rū sacrarū authoritate fidem promereri, nō propterea sibi cōtrariatur, siquidē traditiones non scriptæ à scripturis habēt authoritatem; quādoquidē cōmendantur ab illis, vt patet ex cap. 6. 7. & 8. præmissis. August. igitur palàm traditiones non scriptas vt Apostolicas & catholicas agnouit, asseruit, ac professus est. q *Lib. contra Donatistas.*

Obiectiones contra August. dictum eliminátur.

Neque obstant aduersarij dicentes, quod Augustinus r tantum loquitur de traditionibus non necessarijs ad salutem, quales sunt recensitæ ab eo, videlicet annuaria solemnitas & celebratio Paschatis, Dominicæ resurrectionis, Ascensionis, in cælum, & aduentus spiritus Sancti super Apostolos: nec potuisse aliud sentire, siquidem aliquando statuit scripturam regulam figere fidei nostræ. r *De bono viduitatis.*

131 Non inquam obstant: primò, quoniam solemnitates prædictæ, licet ex natura rei requisitæ non fuerint ad fidem, vtpotè quæ integra fide omitti potuerunt, ita vt non præciperentur, neque inducerentur seruanda. Ex quo tamen illarum obseruatio præcepto instituta est, iam sunt necessariæ ad salutem, maxime dicente eodem August. s *In his rebus de quibus nil certi statuit scriptura, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Secundò, quia in his tantum figit scriptura regulam, in quibus mediate, vel immediate tradit normam, tradit autem immediate per se ipsam quoties aliqua literis promit, tradit verò mediate quoties ad traditiones sermone tantum acceptas nos remittit.

Ostenditur pars affirmatiua ex Vinc. Liren.

s *Idem epist. 86. ad ex quo Casulanum.*

Ostendūtur traditiones non scriptæ adhuc ex Iudæorum & hæreticorū sententijs.

132 Octauo Vincentius Lirinen. t Petrus Chrysol. v Petrus Diac. x Hormisda, y Casiod. Beda, z Carolus Mag. Ansel. Petrus Cluniacen. & alij relati à Iodoco Coccio, a diserta perspicuaque de traditionibus istis testimonia reddiderunt. Ex quibus liquido apparet Ecclesiæ consensum perpetuum circa traditiones non scriptas vt circa verbum Dei.

t *Aduersus heres. cap. 3.*
v *Ser. 85.*
x *In paran. 50.*
y *Epist. 77.*
z *Ad ca. 6. Marci.*
a *t. 1. Thes. li. 6 o. de sacris scrip. a. 32.*

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ostenduntur traditiones non scriptæ adhuc ex Iudæorum, atque hæreticorum sententijs.

Moyses tradidit legē Iosue, Iosue senioribus, & seniores Prophetis, & Prophetæ viris sinagogæ magnæ.



NEc solum alumni Ecclesiæ, verùm, & æmuli, atque hostes Iudæi, imò & hæretici ipsi aduersæ factionis Principes, & antesignani patrocinium nostræ causæ dederunt.

134 Etenim (vt à Iudæis exordiar) sic in capitulo PP. scriptum referunt apud Coccium a *Moyses accepit legem de Sinai, & tradidit eam Iosue, Iosue verò senioribus, seniores Prophetis, Prophetæ tradiderunt eam viris sinagogæ magnæ.* Quæ verba apprimè consonant cum alijs ex Hilario relatis cap. præcedenti testimonio tertio ex commentarijs ad Psalm. 2. quorum similia habent

a *Vbi sup. ad calcem 13. cap.*
b *Hom. 5. in nu*

b *Hom. sup. Nu.* c *Apud Euseb. li. 7. histor. c. 28.* d *Vbi sup.*

bent Origenes, *b* & Anatolius, *c* longê antiquior Origene, ac denique vniuersi Iudæi, vt videbimus sequenti capite.

135 Rabbi Iuda explicans prædictum locum ex capitulis PP. ait apud Coccium: *d Tractatus hic explicat ordinem traditionis ore tenus edoctæ.* Refertur ex Iudæis Rabbi Iuda.

136 Rabbi Iose filius Iuda in capite PP. apud Coccium eumdem vbi sup. ait: *Traditio Patrum est fundamentum omnium legum diuinarum, quia non potest expendi substantia rei, sine illa.* Itē Rabbi Iose.

e *Epist. ad Marchionem Brandeburgen.*

137 Ex hæreticis similiter antesignanus Lutherus, *e* sic apud Cocciũ vbi sup. scribit *Periculosũ, & horrendũ est quidquã audire, aut credere quod aduersetur vnanimi testimonio fidei, & doctrinæ sanctæ, atque catholicæ Ecclesiæ, quam illam inde ab initio per annos plures mille quingentos vnanimiter seruauit.* Hic nulla scripturarum facta mentione consuetudinem, ac dictamen Ecclesiæ perpetuo seruatum ac custoditum perpetuo seruandum, ac custodiendum agnoscit & profitetur: quale autem consuetudinis genus præter traditiones diuinas non scripto traditas? Authores hæretici qui etiã subscribunt traditionibus sacris vsquê ad nu 140. inclusiuè.

f *Contra Pighiũ de libero arbitrio*

138 Caluinus *f* etiam apud Coccium vbi supra habet: *Non difficulter inter me, & Pighium in hac de traditionibus concertatione conuenire possem, si modo traditionem ex certo, & perpetuo sanctorum, & orthodoxorum consensu demostraret.* Fatetur ergo aliam præter sacras literas esse posse regulam, & legem necessario obseruandam, modo esset perpetuo obseruata, quales sunt traditiones diuinæ. Probatur pars affirmatiua ex Caluino.


g *Epist. ad Fridericum.* h *Epist. ad Ioan. Craton.*

139 Philippus demum Melanthon, *g* iuxta eumdē Coccium vbi sup. cōstituit: *Neque verò tutũ est à communi sententia veteris Ecclesiæ discedere.* Et iterũ, *Existimo ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimum valere. Optimi magistri atque duces nobis esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima huius generis posteritati reliquerunt. Ex his monumentis quiuis cognoscere potest ipsos in primis adhibuisse fidei, quam vocant regulam: huic iungebant piorum, atque eruditorum suffragia, consensumque Apostolicarum Ecclesiarum, hoc est, earum quas vel ab ipsis Apostolis, vel Apostolicis viris originem duxisse constabat.* Idem ex Philippo Melant.

140 Perspicuum igitur est, adhuc ex mente istorum, non solas scripturas, sed alia præter illas intrare rationem, & constitutionem normæ, ac regulæ credendorum & agendorum: siquidem nulla, scripturarum in præsentiarum mentione adhibita, asseritur deferendum esse, ac per omnia cedendum vnanimi, atque vniuersali consensui, consuetudini ve Ecclesiæ. Hunc autem sola traditio Apostolica potuit inferre, vtpotê agnita pro verbo Dei nō minus, ac sacra scriptura. Concluditur alia præter scripturas esse credendorum normã.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ostenduntur traditiones diuinæ ex germano, ac legitimo modo, quo Deus docuit semperque docet pios homines.



PRæter recensita ex omni literatura suffragia, & testium grauissimorum, atque etiam leuissimorum elogia, suppetunt ad hoc non leuia, sed potius ingentia præsidia ad probandum esse omnino ê more, ac consuetudine Dei suos non tantum scriptis, sed non scriptis monitis, iussis, atque traditionibus erudire. Nam in primis primos illos seculorum Patres, ad legem naturæ pertinentes, non scriptis edocuit de salutaribus, ac necessarijs ad salutem rebus, sed nutibus, signis, verbis, atque traditionibus, tandem nullo modo scriptis; cum tamen aliqui illorum fide ac sanctitate abundauerint, vt Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Iob, Abraham, In lege naturæ nulla fuit scriptura.

ham, Melchisedech, & alij, de quibus Aug. *a* in his enim bis mille annis, & amplius religio conseruata est, absque omni prorsus scriptura: eo quod primus scriptor sacer extitit Moyses, quem qui præcesserunt, suos verbo tenus erudiebant filios. Vnde dicitur in persona Dei: *b Scio quod Abraham præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini.*

a *Alib. 11. de Ciuit. Dei.*
b *Gene. 18. 19.*

Expēdūtur verba Domini. 4. Esdre, c. 34

142 Deinde in Dei persona dicitur. *c Reuelans reuelatus sum supra rubū, & loquutus sum Moysi, quando populus meus seruiebat in Ægypto, & misi eum, & eduxi populum meum de Ægypto, & adduxi eum supra montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.*

c *Lib. 4. Esdræ, cap. 14. v. 3.*

Moysen accepit duplicē legem aliam scriptam aliā ori tradē dam.

Et rursum. *d Priora quæ scripsisti, & legem digni & indigni, nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas ea sapientibus de populo suo:* in his enim est vena, stilus, sapientiæ fons, & flumen scientiæ.

d *V. 45.*

143 His procul dubio elogijs licèt non irrefragabilis, bene tamen publicæ fidei, innituntur eloquia illa de capitulis Patrum capitis præcedentis, simul cum alijs Hilarij, Origenis, & Anatolij, de quibus etiam ibidem. Quibus etiam adiungenda sunt ea quæ Paulus Fagius (in eundem locum de capitulis PP. apud eundem Coccium vbi supra) subdit dicens: *Tenet Iudæorum opinio Moysem duplicem legem à Domino in monte Sinai accepisse; alteram, quam legem scripto traditam vocant; alteram, quam ore traditam nominant: atque hanc postremam succedaneo ordine à Moyse ad posteros deriuatā affirmant, sic vt eam primus omnium Iosue à Moyse acceperit, quam postea senioribus, illi deinceps prophetis, hi viris tradiderunt Synagogæ, & ab illis susceperunt subsequentes sapientes succedentibus generationibus; atque istam legis geminam expositionem, quam hodie apud sapientes suos inuenire gloriantur Iudæi, alio nomine caballam nominant.*

Idēquod nu. præcedenti.

144 Subscribit Petrus Galatinus inquiens: *e Iudæi duplex dogmatum genus habent, alterum quod vocant legem scriptam, alterum ore traditā, quam nihil aliud esse aiunt, nisi legis explicationem à Moyse primum diuinitus acceptam, deinde per manus traditam vsque ad Esdram.* Planum igitur, & perspicuū est, quod Deus in testamento veteri, non solùm per scripturas, sed etiam per traditiones non scriptas suos edocuit fideles.

e *De Arcanis Catholicæ veritatis.*

Expenduntur verba Deute. 32.

145 Inde me Hercle sunt illa Moysi verba, ac monita: *f Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi maiores tuos, & dicent tibi.* Et illa Dauidis: *g Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annunciauerunt nobis:* & illa. *h Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis.* Et illa Esaiæ. *i Pater Filijs notam faciet veritatem tuam.* Et illa Hieremiæ. *k Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Et illa Ecclesiast. *l Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.*

f *Deut. 32. 7.*
g *Psal. 43. 3.*
h *Psal. 77. 5.*
i *Esai 38. 19.*
k *Hierem. 6. 16.*
l *Eccles. 8. 11.*

Christus Dominus nō præcepit scribi legem sed prædicari, & ipse verbo docuit non scriptis.

146 Tertiò Christus Dominus scripto nihil docuit, imo neque legitur de scribendo aliquo libro præceptum posuisse, sed tantùm de prædicando Euāgelio: dicitur enim *m Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et per Hierem. in persona Christi vatizinatum est: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Non enim dicitur scribam in chartis, aut membranis, vel libris legem meam. Quare proprium Apostolorum non scribere, sed prædicare fuit munus, nec atramento litteras exprimere, sed verbi prædicatione corda exarare. Ob hanc aūtem rem Paulus in litteris missis: *o Epistola estis Christi administrata à nobis, & scripta non à tramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalis.* Quod procul dubio non dixit, sed neque dicere potuit propter diuina oracula illis in scriptura commissa, sed propter dogmata fidei eis viua voce tradita, per quam effecti sunt viua

m *Mat. vltimo.*
n *Hiere. 31. 33.*
o *2. Cor. 3. 2. 3.*

volumina fidei. Inde etiam tàm ipse Paulus, quàm cæteri Apostoli, prius voce quàm scripto sacrum Euangelium promulgarunt, vt testes locupletissimi sunt Irenæus, p Eusebius, q Chrisost. r Theophilactus, s ac denique vniuersi doctores apud Melchiorem Cano. t

147 Et non tantum prius voce quàm scripto docuerunt Apostoli, verum adeò prius, vt vsque ad 3. olympiade 204. hoc est, vsq; 41. à Christi natiuitate annum, nihil literis commiserunt, cum iam prædicatione sua totum repleuissent orbem; dicente Paulo, v *Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

148 Sanè prior ex scriptoribus sacris noui testamenti fuit Matthæus, qui tamen (vt Eusebius habet) octauo anno ab Ascensione Christi in cœlum, suum Euangelium scripsit; & non statim, ac fuit scriptum, fuit per mundum disseminatum, sed procedente tempore, sensim, & paulatim: ita vt per multos annos sine illo particulares Ecclesiæ numero multæ transegissent. Quod si hoc de primo volumine testamenti noui, quid de reliquis longo post tempore scriptis? Absq; scripto igitur, vniuersalis Christi Ecclesia, quæ modò viget, in statu legis gratiæ disseminata atq; constructa est: & proinde eius optimum regimen non à scripturis dependet simpliciter, bene tamen à prædicatione. Si ergo in omni statu Ecclesia traditiones habuit, consequens est, quod Deus non tàm per scripturas, quã per traditiones voluit eam instituere, & ad exitũ vsque perdurare: & proinde traditiones non reijciendas, sed admittendas omnino esse.

p Li. 3. aduersus Valent.
q Li. 3. hist. c. 24
r Ho. in Matth.
s Initio commen. in Matth. Hier. in cathalog. scrip. Ecclesiast. in Matth. & in Ioan.
t Lib. 3. de locis cap. 3.
v Rom. 10. 18.
x In chronicis.

Apostoli nihil literis mandauerũt vsque ad annũ 41. à Christi Dñi natiuitate.

Matthæus primus scriptor noui testamenti fuit anno 8. ab Ascẽsione Dñi.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ostenduntur traditiones diuinæ ex ratione mysteriorum fidei.

149 Ipsa etiam mysteriorum fidei ratio iure sibi optimo vendicat traditiones diuinas. Et inficiari nemo aduersariorum audebit dogmata fidei nostræ, omnemque diuinitus reuelatam doctrinam mysterijs, & quidem extremis abundare. Hoc enim apertè colligitur ex eo, quod omnia sunt verbum Dei, & arcanum mentis diuinæ, superans cogitationes humanas, quinimo & Angelicas, vtpotè conceptus altioris naturæ. Inficiari similiter non audebit verbum illud Magni Basilij; a *Neque enim omnino mysterium est quod ad populares, ac vulgares aures defertur.* Hæc enim est ratio, cur quædam citra scripturam tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.

Mysteria vulgus litere debet ne vilescant.

a De Spiritu Sancto cap. 27.

150 Sanè præterquam quod Basilij dignitas publicam apud omnes authoritatem meretur, habemus ex antiquis authores probatos, & eximiè doctos, qui existimationi huic non leuia suffragia dederunt. Etenim cum Pythagoras verbo tenus suos erudiret discipulos, vt posteriorum omnium scripta testantur: & physici omnes, ac medici à maioribus quasi per manus medicinæ arcana protraxissent, vt refert Galenus: b & Cicero c dixisset: Seruandos in republica mores, ne scriptis omnia santienda: & Lycurgus nullam scriptam legem dare voluisset, vt ait Plutarcus: d & Aristoteles e decreuisset, partim scripturis, partim sine scripturis rempublicam gubernandam esse, in causa dicitur fuisse, quod altiora dogmata in vulgus efferre non expedit, ne sic in despectum fuerint, sed æquis æstimatoribus tantum concomittenda, vt sic à culmine & gradu dignitatis

Pytagoras verbo docuit discipulos & Lycurg⁹ nõ scripto dedit legem.

b Lib. 1. de anoto. demonstr.
c 1. de legibus
d In Lycurgo.
e 3. polyt. cap. 11

tatis

tatis suæ numquam exciderent, sed sine iactura sui cæteris emolumentum præstarent, iuxta quæ habent Clem. Alex. *f* & alij. *f Lib. 5. Strom.*

Plato monet Dyonē vt epistolam suā rumpat ne in manus indigni vulgi feratur.

151 Inde scripsit Pindarus, non licet apud omnes veterem aperire orationem præterquam fidelissimi silentij viris. Item Plato scribens Dyoni de quibusdam sacris mysterijs monet, vt epistolam è vestigio rumpat, ne in manus indigni vulgi fortè perueniat. Tarquinus etiam Rex Marc. Tul. culeo insutum in mare abijci iussit tamquam sacrorum contemptorem, quia librū secreta sacrorum continentem illi speciali studio commissum, ipse Petronio Sabino viro prophano scribendum dedit, iuxta Valerium Max. *g* vt bellè enarrat Cano, *h* cum aliquibus ex supra præmissis. Igitur mysteria omnibus euulganda non sunt, maximè mysteria maxima, qualia sunt mysteria fidei: ex eo enim quod omnibus peruia fierint à ratione mysteriorum caderent: mysterium enim sonat arcanum alta mente receptum. *g Lib. 1. de seruan. relig.* *h Lib. 3. de locis cap. fund. 4.*

Christus Dominus specialia mysteria doctrinæ specialibus tradidit amicis.

152 Ideo dixit Apostolis Christus ipse *i Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Quibus palàm monstrauit Christus mysteria doctrinæ suæ omnibus patefacienda non esse, nec omnino expedire, sed aliquibus tantùm, qui digniores & occulatiores essent in rebus fidei, & proinde non omnem reuelatam doctrinam scripto referendam, quoniam sic vulgaris fieret rudi etiam vulgo, sed aliquam partem illius pro peritioribus & prouectioribus reseruandam. *i Luc. 8. 10.*

153 Obijciunt aduersarij argumentatione ista, aut nihil probari, aut etiā conuinci nihil reuelatæ doctrinæ literis fuisse commissum, quia omnis reuelata doctrina mysterium est, siquidem est verbum Dei, & oraculum, cum tamen multa scripto tradita sint.

Confirmatur veritas numeri præcedentis

Resp. negando sequelam; quoniam ex mysterijs fidei etiam sublimioribus aliqua necessario euulgata sunt, & omnibus propalata propter fidem explicitam de aliquibus articulis fidei, quæ ab omnibus exigitur. *Accedentē, enim ad Deum* (ait Paulus *K*) *oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Et aliqua ex miraculis Christi literis commissa sunt, vt credamus quia IESVS est Filius Dei, *l Et sic credentes vitam habeamus in nomine eius, eo quod non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* At cum non singula sint huiusmodi, non oportuit de singulis cognitionem tradere omnibus, sed tantum aliquibus. *K Heb. 11. 6.* *l Ioan. 21. 31.*

Obscuritas scripturæ est quædam silentij species mentem ad contēplationē exercēs.


154 Neque obstat multa scripta esse, quia non propterea vulgata habentur, aut sunt, obstante obscuritate & abstrusione illorum, vt enim Basilius *m* ait. *Est silentij species obscuritas etiam qua vtitur scriptura, mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens, idque ad vtilitatem in scripturis versantium.* Quare sicut legere, nec legere est, vt vetus habet corruptum brocardicum, sic scripturam non intelligere idem pro non intelligentibus est, ac scripturam non habere, aut saltem habere illam claue custoditam, & signatam. *m Vbi sup.*

Mysteriorū dignitas paucis.

155 Si igitur mysteriorum dignitas in eo sita est, vt vel scripto non exarentur; sed viua voce tenus, & quasi per manus tradantur, vel si in literas referuntur taliter disponantur, vt reconditi sensus illorum non omnibus euulgentur, sed paucis, ac potioribus committantur; consequens est, mysteriorum fidei plures traditiones non scriptas esse, siue circa mysteria, eorumque substantiam, siue circa sensus, ac legitimas interpretationes illorum: quia vtriusque generis sunt, quæ non expedit de omnibus committere, sed aliquibus tantum, vtique Apostolicis viris prudentioribus & prouectioribus.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ostenduntur traditiones diuinæ non scriptæ ex necessitate & consequentia illarum.



156 Vxilio, ac subsidio præterea muneri nostro est, quod traditiones viuæ vocis oratione transmissæ omnino necessariæ sunt ad instructionem fidelium; scripturæ autem sacræ nō ita. Ergo si his non obstantibus scripturæ sacræ extant, & sunt, consequens fit, vt potiori iure extent traditiones viua voce transmissæ. Necessitas &, cōsequentia ostenditur traditionū diuinarū

157 Sane traditionum ratio, & transmisio in primis necessaria inuenitur necessitate extrinseca, hoc est, ex institutione Christi præcipientis Apostolis suis, & in illis successoribus eorum Euangelij ministris, vt viuæ vocis oraculo mundo Euangelium indicerent: quod ipsi Apostoli Domini opere suo tempore praestiterunt. Quorum vtrumque patet ex verbis supra allegatis, a *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et ex Rom. 10. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum.* Necessitas extrinseca earū

a Marc. vlt.

158 Item necessaria inuenitur necessitate intrinseca & ex natura rei, dicente vbi sup. Paulo. *Quomodo credent sine prædicante?* Ergo fides ex auditu: vtique quoniam communis & magis connaturalis modus concipiendi fidem ex auditu est: licet aliquando aliter, nimirum per internam reuelationem, vel per alios diuersæ rationis modos contingat illuminari homines, & in rebus fidei edoceri; quia tamen exteriori auditu connaturalius, & vniuersalius fides ingeneratur, quàm per aliquem alium sensum: ideò prædicatio externa connaturaliter ad fidem præexigitur, & propterea à Paulo affirmatur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Ergo fides ex auditu. Traditionum igitur ratio, atque ab ore in os transmisio, tam ab extrinseco quàm ab intrinseco, hoc est, tam ex præcepto & institutione Christi, quàm ex natura rei inuenitur necessaria ad fidem: siquidem in omni æuo Euangeli prædicatio, quam & prout à maioribus nostris accepimus omnino ad fidem necessaria est. Item necessitas intrinseca.

159 Quod autem scriptura sacra his necessitatum ponderibus prærequisita non sit, tàm patet ex eo, quod (vt iam superius vidimus cap. 5.) nullum de scripturis edendis præceptum inuenitur: quàm etiam ex motiuis, causis & occasionibus, quibus Euangelistæ sacri referuntur adducti ad scribendum dicta & facta Christi, eiusque Euangelicam fidem. Etenim de Mattheo refert Eusebius, cui acquiescunt omnes etiam hæretici, ideo de scribendo Euangelio efficaciter cogitasse, vt prædicationis suæ memoriale Hebræis (quos per conciones docuerat) relinqueret, antequam ad gentes transmigraret. De Marco, item quod à Romanis rogatus atque compulsus suum Euangelium literis comprehensit. De Luca, verò quoniam viderat multos temere præsumpsisse literis illa commitere quæ ipsi non satis nouerant. Quā etiam causam non solum ipse Eusebius, verùm ipsemet Lucas tradidit atque prodidit. De Ioanne denique, quoniam ab Episcopis Asiæ precibus fuit compressus, vt sic Ebionis hæresim suo Euangelio complōderet, iuxta quæ præter alios refert nobis expresse Hieronymus. Si igitur per occationē, & quidem adeò extrinsecam fidei, Euangelistæ sacram Christi Domini historiam literis texuerunt, consequens est, apud illos nullum vel leuissimum motum, cogitatumve insedisse, quod omnia ad scripturas tantum tanquam ad vnicam regulam reuocanda essent, & ab illis omnia petenda quæ religioni Christia-

Non tanto necessitatis pondere scriptura sacra requiritur quāto traditiones diuinæ.

Euseb. li. 3. hist. cap. 24.
Idem lib. 2. hist. cap. 15.
Idem lib. 3. hist. cap. 24.
Lucas in procem. Euangelij.
Hieron. de scrip. Eccles. in Ioan.

Christianæ substantialiter inseruirent: alias grauiter & enormiter suo defuissent muneri prorsus se continendo ab eo, quod erat præcipuũ, & vndiq; necessariũ ad rectã institutionẽ fideliũ. Non igitur agnouerunt scripturam à se conditam, vel condendã tamquã vnicam regulam normamque agendorum & credendorum. sed prædicationi suæ, hæc omnia attribuerũt, vtpotè quod eam locupletissimè annunciarunt annunciando & præconiando omnia necessaria ad salutem & ad bonum congruentéque statum Ecclesiæ; vt sic tam præcepto Christi, quàm rerum necessitati atque conuenientiæ se aptarent.

In quo sita sit ratio formalis normæ adæquatæ fidei.

160 Quia verò prædicatio hæc partim literis comprehẽsa est, partim sine literis ab ore in os transmissa, ideò ex traditionibus scriptis & non scriptis fidei norma adæquate conficitur: quia ratio scripti, vel non scripti materialiter omnino est ad rationem prædicati; & ideò de prædicata doctrina constituendum est esse normam adæquatam fidei, non autem de scripta, vel non scripta prout sic, nisi quatenus tamquam partes materiales continent doctrinam omnem quæ prædicata est.

Quare singuli Euangelistæ seorsum nec omnes simul omnia necessaria nõ scripserunt aperte.

161 Quod autem Apostoli non studio conficiendi normam vniuersalem fidei, scilicet vel morẽ gerendi precibus amicorũ, vel aliud quidpiam agendi animum ad scribendam Euangelicam historiam induxerint, præter *Eusebij* contestationem constat ex eo, quod nullus *Euangelistarum*, atque Apostolorum scripsit omnia dogmata fidei etiam substantialia & essentialia: cum tamen omnes omnia substantialia & necessaria ad salutem vbiuis gentium enuntiassent, alias desides admodum, & maximè inofficiosi erga proprium munus fuissent, cum maximo animarum periculo, & irrepabili detrimento, quod de Apostolis ex cogitare nefarium est. Quod autem de scriptoribus nullus omnia dogmata fide literis comprehenserit, exemplo liquet in omnibus, cuius gratia quod vnus *Euangelista* omisit alius suppleuit, & Matthæus consubstantialitatem Filij cum Patre non exprimens habuit Ioannem Euangelistam, qui eius supplens defectum illam apertissimè tradidit: & sic de alijs. Vnde Augustinus, *a* Matthæi, Lucæ, & Ioannis scribendi rationes perpendens dixit: *Matthæum in Christi regno, Lucam in sacerdotio, Ioannem in diuinitate explicanda versari.* Consequens igitur est, quod Apostoli non scripta sua, sed prædicationem agnouerunt pro verã completaque regula fidei. Prædicatio autem non in scripturis sacris adæquatè comprehensa est, & proinde pars aliqua eius in scripturis mansit, ac manet.

a *Li. 1. de consensu Euang. cap. 3.*

Apostoli plura cõcionan-tes, quã scribentes protulerunt

162 Sanè Apostoli, plura adhuc ex substantialibus, & omnino arduis, ac necessarijs ad salutem concionantes quàm scribentes protulerint, euidenti argumento est, quod (vt dicebam modo) nullus in scripturis suis comprehensit omnia dogmata creditu necessaria ad salutem, benè tamen in suis cõcionibus: alias prædicatio illorum valdè diminuta fuisset. Pluraque conciõnando quàm scribendo dixerunt, & proinde necessarium est extare aliqua ex prædicatione Apostolica, quæ in literas relata non sint.

De scribẽdis dogmatib⁹ fidei nullum præceptum inuenitur.

163 Nec valet, si dicas nihil substantiale fidei ab omnibus prædicatum esse, quod ab aliquo scriptorum sacrorum literis non sit commissum. Non inquam valet: primò nam vnde id colligi poterit si de scribendis dogmatibus fidei nullum omnino præceptum inuenitur? neque aliquod inducitur testimonium, in quo tale quid asseratur? Secundo quoniam nullus Euangelistarũ præter Matthæum, qui non omnia complexus fuit, motu proprio ad scribendum adductus legitur, sed tantum ex motiuis extrinsecis, & importunis aliorum precibus, vt patet ex supra relatis, licet enim omnes, ac singuli scriptores sacri Spiritus Sancti impulsu ad scribendum allecti fuerint, vt patet ex supradictis circa quidditatem scripturæ. At istiusmodi impulsum media interpellatione, ac prece instanter efflagitatium euenisse nullius est incommodi: Suggerit enim, & inducit sæpe Deus ad multa media excitatione extrinseca, & prorsus occasionata, vt passim per temporalia commonet ad æterna. Non igitur curæ fuit alicui scriptori sacro ea referre in actis, quæ quispiam alius dixit, sed ea quæ ab illo dici ac repetitis precibus efflagitabantur.

Nullus Euãgelistarũ præter Matthæũ motu proprio scripsit Euangelium.

165 Præterquam quod scriptores sacri, vel apud se statuerunt conficere vnicam regulam adæquatam fidei, aut saltem agnouerunt scripturas suas futuras adæquatam regulam, vel non. Si non: ergo neque hæretici id agnouerunt siquidem perspicacius sacras literas non penetrarunt, quam ipsi scriptores sacri illarum authores: & proinde si isti non viderunt scripturas suas esse talem adæquatam regulam, nec ipsi videbunt hæretici, nisi ad summum per ludibria oculorum. Si sic: ergo quilibet illorum debuit vniuersa dogmata fidei saltem substantialia perscribere, siquidem hoc est de ratione vniuersalis regulæ. Quod cum à nemine illorum præstitum videamus, consequens est, neminem illorum de tali scribenda regula studium habuisse, & proinde neque videre potuisse, quod scripta sua talem continerent regulam.

De ratione vniuersalis regulæ fidei est, omnia substantialia dogmata præscribere.

166 Nec potest iterum dici, quod Spiritus Sanctus, qui eos ad scribendum induxit voluit ex chartis illorum hinc inde collectis regulam hanc confingere. Non inquam dici potest, tùm quia nulla traditio scripta, vel non scripta inuenitur, quæ talem intentionem insinuat; tum quia nullibi scripturarum expressa inueniuntur omnia, quæ ad sacram fidem pertinent, vtique Trinitatis mysterium (quod Basilius, b notauit) ex personarum diuersitate cum omnimoda identitate essentiæ: processionem Spiritus Sācti à Filio: baptismum paruulorū: descensum Christi ad inferos: & similia, quæ dogmata sunt magni momenti in fide. Igitur ad exactam notitiam mysteriorum fidei recurrendum aliquando est ad alia quam ad literas sacras, vtique ad prædicationem Apostolicam prout à priscis Apostolorum temporibus transmissa vsque ad nostra tempora est.

b Lib. de Spiritu Sancto c. 2.

Non cōsurgit regula fidei ex chartis pluriū Euangelistarum hinc indequè collectis

Plura fidei dogmata prædicari debuerūt in nouo testamento quam in veteri.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Resp. argumentis 2. cap. Et explicantur scripturæ obiectæ aduersus traditiones non scriptas.

167 Neque aduersariorum tella irrefragabilia sunt; vt patebit discurrendo per singula. Et imprimis secundi capitis argumenta ex sacris ex torta literis euidentem solutionem habēt. Ad primum enim ex Deuteronomij 4. a Resp. nullius esse frugis, quoniam si probaret aliquid proinde concluderet, scripturas testamenti noui, nec adijciendas & superaddendas esse testamento veteri, nec plura fidei morumque dogmata in testamento nouo fuisse prædicanda, quam in testamento veteri, quod planè impium est. Christus enim expressè b ad verba præceptaque legis scriptæ adiecit præcepta & verba non semel, sed sæpe. Cum igitur ab eodem principio, vtique Deo, vtrumque additamentum processerit verbi scripti, consequens est, non magis vnum quam aliud prædicto elogio inhiberi. Alias solutiones, alij me doctiores inducunt, hanc assigno.

a Deut. 4. 2. Deuter. 12. 32.

b Matth. 5.

c Psal. 18.

Lex noua incorde & in visceribus scribi debuit.

Lex scripta & nō scripta cōsonāt inter se.

168 Ad 2. c resp. ibi: nō de lege scripta, sed de lege diuina. vt sic sermonem procedere, & proinde traditionem non scriptam eo loci nequaquam excludi, nam hæc etiam est Dei, & verbū Dei, de quo Hieremiæ 31. d *Dabo legē meā in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

d Hiere. 31. 33.

e Luc. 1. v. 5.

169 Ad tertium, resp. cum Theophilacto, ly cognoscere, idem ibi valere, ac recognoscere, eo quod in originali habetur, Ina epignos, id est, vt recognoscas, nimirum scripturam prædicationi consentire, & vnum alteri consonare.

170 Ad quartū f resp. Euangelistam ibi tantū loquutū esse de signis Christi (vt habet communis Patrum chorus super eundem locum, vtique Cyrillus, Augustinus, Beda, Chrysost. Theophilactus, Euthymius, Rupertus, & alij. Et

f Ioan 20. v. 30.

Explicātur loca varia sacræ scripturæ perperā in allata ab hæreticis, vsquè ad

constat nu. 175.

conſtat planè ex eo, quod aliàs non dixiſſet: *Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS, in conſpectu diſcipulorum ſuorum*, ſed *multa quidem, & alia Chriſtus docuit, ac fecit, quæ in hoc libro ſcripta non ſunt, in quo dicta, factaque eius continentur*: Reſp. igitur loquutum fuiſſe tantum de Chriſti ſignis, & adhuc re ſatis perpenſa non quidem de omnibus, quæ adhuc vſque ad illam diem Chriſtus perfecerat, ſed præciſè de illis, quæ ad probandam reſurrectionem ſuam ipſe patrauerat; vt præter Chryſoſt. Theophil. Euthym. Rupertumque relatos habent Euſebius Emiſenus, & alij: & apertè colligitur ex contextu, qui habet, *Multa quidem, & alia ſigna fecit IESVS in conſpectu diſcipulorum ſuorum*. Id eſt, in proſpectu tantùm, & in præſentia diſcipulorum, qualia, mehercle, fuerant, quæ in teſtimonium reſurrectionis ſuæ perfecerat: nam alia promiſcuè in conſpectu plurium ediderat.

Explicatur locus ex Ioan. 20. verſ. 30.

171 Colligitur etiam ex eo, quod per hæc verba Ioannes apertiſsime oſtendit ſe imponere finem narrationi illorum ſignorum, de quibus tunc agebat. Cum igitur cap. ſequenti ſignum aliud (vt ſignum de captura piſcium) copioſè receſeat; conſequēs fit, quod per illa ſigna, de quibus c. 20. *g* nō intellexit omnia Chriſti miracula, ſed illa tantum, quæ ex compoſito præſtiterat ad probandam reſurrectionem ſuam, & ideò ſine præiudicio finis, quem impoſuerat narrationi illorum ſignorum, potuit aliud ſignum referre, vtpotè quia hoc aliud ſignum ſcopum omnino alium reſpiciebat. Si igitur de vno vel altero ſigno Chriſti Euangeliſta loquitur (vtique de illis poſt reſurrectionem patratis in confirmationem, tanti myſterij) conſequens eſt, quod non omnia documenta fidei per hæc verba ſcripturis attribuit, ſed tantum narrationē ſignorū, quæ ad probandā reſurrectionē Chriſti ſufficere cogitauerat.

g Cap. 20, 30.

Nō clauduntur dogmata fidei in vno licet maximo art. fidei.

172 Sed adhuc licet demus hæreticis, loquutum planè fuiſſe de omnibus dictis, ac factis Chriſti, ex quibus deduci poſſet, quod ipſe deduxit, vtiq; Chriſtum filium Dei eſſe; non ſequitur in tali ſcriptura adæquatam fidei regulam comprehenſam fuiſſe: quoniam plura eſſentialia dogmata, quàm Chriſti filiationem diuinam, continet fides ſacra; & licet ſubijciat Apoſtolus, *vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius*, non ideo excludit aliorum articulorum fidem, quaſi non æquè neceſſariam ad ſalutem: ſed ſupponit eam, vel ſub intelligit quomodocumq; habeatur, ſiue per epiſtolam, ſiue per concionem.

Omnia neceſſaria ad ſalutē ſcripto tradita habentur: quia etiam traditiones iam ſcriptæ ſunt.

173 Ad id autem quod ex Cyrillo, & Auguſt. obijcitur, videlicèt ſcripta eſſe, non quidem omnia Chriſti, ſed illa tantum, quæ ad ſalutem ſufficere videbantur, reſpondetur intelligendum eſſe, non quidem in vniuerſali, ſed in ſubiecta materia, vtique ex dictis, factiſque Chriſti illa tantùm in literas relata fuiſſe; quæ ad fidem ſalubriter ſuſcipiendam ſufficere videbantur, hoc eſt, ad credendum quod IESVS eſt Filius Dei; & vt credentes vitam habeant in nomine ipſius: de hoc enim præciſè procedebat Apoſtoli ſermo, quem illi commentabantur. Seu in tantum ſcripta dicuntur omnia neceſſaria ad ſalutem, in quantum ipſe etiam traditiones diuinæ ſcriptæ iam diu ſunt.

Scriptura cauſa neceſſaria ad ſalutem at non adæquata.

h Ex 2. ad Tim. 3.

174 Ad quintum ex 2. ad Timth. 3. *h* reſp. verò omnem doctrinam ſcriptam vtilem ad illa eſſe, at non ſufficientem. Cauſa enim partialis vtilis eſt ad effectum quæcunque illa ſit: at non ſufficiens.

i Ex Can. 1. Ioā. 1.

Ioan. in ſua canonica pro ſe tantū, non autem pro omnibus ſcriptoribus canōnicis ſcripſit.

175 Ad ſextum, *i* bene ibi reſpōſum eſt: ad replicā autem reſp. Ioannē ibi de ſeipſo expreſſè tantum eſſe loquutū, non verò de ſacris ſcriptoribus alijs: quoniam epiſtolam illam ſuo tantum nomine ſcripſit, ac deſtinauit.

Neq; ſi nomine omniū ſacrorum ſcriptorum illā edidiſſet, inde adhuc poſſet elici omnia audita, & viſa ab eis fuiſſe literis commendata, ſed eſſe, vel enunciata, vel ſcripta. Quare cum ver. 4. obijcitur. *Et hæc ſcribimus vobis*, v. 2. prædictum erat, *Hæc annunciamus vobis*.

Præterquàm, quod cùm hanc epiſtolā longè prius, ac Euangeliū ediderit Ioannes, & in Euangelio contineātur multa quæ ſuis nō congeſſit epiſtolis, conſequens eſt, quod per ly *hæc*, nō intellexit omnia neceſſaria ad ſalutem, ſed tantum aliqua: vti cum ſtrenuus aliquis miles, verbi gratia, dicit quæ ſub

Marte expertus sum hæc vobis commemero, non opus est, vt commemoret omnia, quæ sub Marte didicit, sed satis est, quod verè interprælandum didicerit quod tunc verbo recenset.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.
Respon. argumentis tertij capitis, confectis ex doctrina Patrum græcorum.

176 Eque item tertij cap. argumenta operosa sunt: ad primũ enim ex Irenæo bene ibi responsum est, & ad replicã resp. propositionẽ illã logicè tantum veram esse, non tamen in materia necessaria, vt cum dicimus homo est animal, ignis calefacit, idem est ac si diceremus, omnis homo est animal, omnis ignis calefacit: necessitas autem scripto tradendi omnia reuelata non est huiusmodi, vt vel cæci videbunt.

Aperitur vera mens sanctorũ Patrum perperã inducta ab hæreticis, qui arguunt ab indefinita ad vniuersalẽ in materia non necessaria.

177 Ad secundum ex Origene bene ibi responsum est, & ad replicam satis patet ex his, quæ ex Origine eodem induximus, a ibi enim luce clarius vidimus Originem profitentem traditiones diuinas non scriptas

a Ca. 12. testim. 9

178 Ad tertiũ ex Cõst. Magn. bene ibi respõsũ: & ad replicã resp. propositio illam esse indefinitam, non verò vniuersalem: maximè quod Imperator non tenebatur omnimoda cum proprietate loqui, vtpotè quod erat Imperator laicus, non doctor egregius: & licet adstantes Doctores egregij essent, non tamen voluerũt Imperatoris propositionem corrigere; quia indefinite sumpta verũ sensum reddebat; & ita debuit admitti in bono quẽ habebat sensu.

Præterquam quod scripturæ sacræ ea tenus possunt nos de rebus diuinis instituere, quatenus per congruentes interpretationes illarum germanos sensus assequimur, at citra traditiones scriptas vix, imò nec vix quidem tales congruentes sensus poterimus indagare, & ideò necessarium est recurrere ad expositiones verborum, quas ipsi Apostoli inter concionandum tradiderunt, & quæ ab ore in os vsque ad nostra tempora transmissæ sunt.

Defensatur Orig.

Explicatur Cõst. Mag.

179 Ad quartum ex Athanasio bene ibi resp. est, & ad replicam resp. falsum plane esse, quod Athanasius asserat scripturam omnium veritatum fidei magistrum locupletissimum, vel quod ex eius scripto deduci valeat: nam potius verba eius hæc sunt, *Sufficiunt quidem per se tùm sacræ, & diuinitus inspiratæ scripturæ ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri à magistris conscripti, quos si quis euoluat intelliget aliquo modo scripturarum mentem.* Ecce qualiter scripturis sanctis tribuit veritatis indicationem, interpretationem verò libris scriptis à Patribus, hoc est, legitimam & germanam veritatis intelligentiam, quam antiquiores illi ex traditionibus prorsus non scriptis acceperũt.

Defenditur Atha.

180 Resp. ad quintum ex Basilio neutrum citra authoritatem diuinam fieri posse benè tamen vtrumque cum illa, & ideò obligatio plurium præceptorum legalium testamenti veteris iam dudum concidit, aliorum vero status gratiæ nouiter insurrexit. Præcepta enim legalia, & cæremonialia quæ aliquãdo in viridi erant, & omnino obligabant, iam mortua & mortifera sunt, illa obligatione semota; alia etiam de nouo in lege noua præcepta condita sunt, quæ lex vetus non habebat, vt præceptum de susceptione baptismi, & de corpore Christi sumendo: quarè citra authoritatem diuinam, nec detrahendum aliquid, nec adijciendum tamquam diuinum est, benè tamen authoritate diuina: ad quam pertinent traditiones non scriptæ.

Defenditur Basil. Mag.

181 Ad sextum ex Chrysost. bene ibi resp. est, & ad replicã resp. vere scripturam non sinere nos errare, quia aut veritates ipsas scripto prodit, aut reijcit nos ad traditiones non scriptas, hoc est, ad doctrinam Apostolorum prædicatam, nec literis consignatam sacris, à qua omnis veritatis norma sæpe desumenda, & sæpe petenda est.

Explicatur Chrysost.

Ad

Explicatur Epiphanius.

182 Ad septimũ ex Epiphanio respondetur, quod sub nomine vtriusq; testamenti subintellexit omnem reuelatam doctrinam, siue scriptam, siue non scriptam pertinentem ad vtrumque statum.

Explicatur Cyrilus.

183 Ad octauũ ex Cyrilo Alex. resp. vere propositionẽ illam habere speciem vniuersalis propositionis; non tamen esse vniuersalem, sed indefinitã. Non enim omnia, quæ habent speciem vniuersalis propositionis continuo sunt vniuersaliter vera, sed tantùm indefinitè adhuc in ipsis Scriptoribus sacris: Exemplum est in illo: *b Omnes declinauerunt simul, inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Cùm tamen pro statu Ecclesiæ nullo vnquam tempore possint aliqui non esse iusti, & sancti. Exemplum item est in illo: *c Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, id est, præcipuę totius orbis regiones. Vnde cum potissima quæque, ac præstantissima literis prodita sint, potuit congruenter dici, quòd omnia necessaria ad salutem in literas missa sunt, licèt non vniuersaliter verum habeat. b *Psalm.* 13.3. c *Luc.* 2.1.

Eo ipso, quod scripturæ deducunt nos ad traditiones, virtualiter important illas.

184 Præterquam, quod quatenus diuinæ literæ commendant traditiones non scriptas, & nos ad illas amandant, quodammodo continent illas: vtique generaliter, atque in communi, licèt non specialiter, & in particulari. Vnde hoc sufficit ad verificandum omnia necessaria ad salutem scripto comprehensa fuisse. Et per hoc patet ad secundum testimonium, & ad alia, quæ in simili forma ex Cyrillo referuntur, deprompta ex lib. de recta fide ad Reg.

Traditiones diuinæ eãdẽ quã scripturæ sacræ habent authoritatem.

185. Ad nonũ ex Theophilo Alex. respondetur traditiones diuinas non esse extra authoritatem diuinarum scripturarum: siquidem eiusdem sunt ponderis, momenti, ac dignitatis, vtpotè verbum Dei, cui nihil dignitatis superaccrescit, ex eo præcisè quod scribatur, neque aliquid authoritatis ab eo rescinditur, ex eo quod non scribatur.

Cur renuit Apollinarius agere cõtra hæreticos nisi scripturarum telis?

186 Ad decimum ex Apollinario respondetur, Apollinarium formidasse agere contra Montanistas non scriptis traditionibus, propterea quod Mõtanistæ, velut omnium ætatum hæretici traditiones repudiebant, fulti illo Deuteronomij elogio, d de quo cap. 2. argumento primo, & cap. 18. solutione ad primum: at illarum efficacitate, & authoritate melius propensa tandem traditionibus Montanistas adorsus est, & sic ei successit fœliciter. d *Deut.* 4.

187. Ad vndecimũ ex Tertulliano respondetur, quod additiones traditionum ad Scripturas sacras nullo vnquam tempore sunt prohibitæ, vtpotè quod sunt additiones diuinæ diuina authoritate cumulatæ, non secus atque ipsæ sacratiores literæ, vt patet ex cap. præcedenti solutione ad primum.

Explicatur Tertullianus.

188. Ad duodecimũ ex Cypriano bene ibi resp. est & ad replicam respõdetur, quòd Cyprianus illam traditionem dumtaxat de non rebaptizandis hæreticis repudiauit, cæteras autẽ ipse veneratus est, vt patet ex cap. 13. testimonio 2.

Explicatur Cyprianus.

189 Ad decimũtertiũ ex Hieronym. respondetur, vt ad nonum præcedens, videlicet, authoritatem traditionum prorsus esse eandem cum authoritate scripturarum.

Explicatur Hieronym.

190 Ad decimũquartũ ex August. respondetur, aliud esse quod scripturæ contineant fidem, moresque viuendi, de quo nullus ambigit; aliud quod omnia fidei, morumque dogmata referat, de quo orthodoxis contra hæreticos disceptatio est. Vnde cum August. non hoc secundum dixerit, sed illud primum, consequens est, nobis nostræque sententiæ nullatenus refragari; sed potius opem ferre. Et idem est de illo altero, quod obijcitur testimonio; propterea quod Augustin. loquebatur de re cuius nulla traditio extabat, & ideò examinanda omnino erat per verba Apostoli scripta.

Explicatur Augustinus.


CAPVT



CAPVT DECIMVMNONVM.

Respondetur 1. arg. quarti capitis, & ostenduntur variæ traditiones veteris testamenti.

Ostendũtur plures traditiones veteris legis.

191 Erbos item argumentorum quarti capitis facile concidemus discurrendo sigillatim per omnes. Nunc autem ad primum negamus nullas traditiones non scriptas in veteri testamento extitisse: oppositum enim planè constat ex dictis cap. 15. constat item ex eo, quod in remedium peccati originalis pro gemellis, & infantibus decedentibus ante octauum diem nullum remedium scriptum habebatur, cum tamen Deus citra remedium aliquod illos non dereliquisset: ex quo sequitur, remedium illud penes traditiones extitisse non scriptas. Item ex eo patet, quod in veteri testamento erant Doctores, qui legem explicabant, quorũ explicationi omnino standum erat, vt patet Matth. 23. *a* Inter illos autem maximè eminebat maximus, summusque Sacerdos, cuius vocem, qui non audiret tanquam infallibilem, & proinde tanquam Dei vocẽ interfici præcipiebatur. *b* Item Hebræis aliunde quam per traditiones non scriptas constare non poterat libros legis scriptos fuisse à Moyse, & esse verè canonicos. Et idem est de alijs libris veteris testamenti, & de vero legitimoque sensu illorum. Habuerunt ergo veteris testamenti Patres traditiones non scriptas, quibus tanquam Dei verbo per omnia deferebant.

Remediũ peccati origi nalis pro gemellis & paruulis ante octauum diem obeuntibus extitit penes traditionem.

a *Matth.* 23.

b *Deut.* 17.

193 Neque obstat ex primo Lucæ *c* testimonium: quoniam non ablegauit diuitem ad Moysis, & Prophetarum libros, vt sic, sed ad Moysem, & Prophetas, id est, ad doctrinam eorum, quæ æquè potest excipi extra literas, atq; per literas. Vnde sicut Matth 17. *d* Christo dictũ est de cœlo, *Hunc audite*, id est hunc tantùm (vt habet Cyprianus *e*) per quod tantùm indicitur, vt doctrina Christi audiatur, siue per epistolam, siue per concionem: ita hic.

Explicatur locus ex Lucæ 1. versu 16.

c *Luc.* 16.

d *Matth.* 17. 5.

e *Epist.* 63.

194 Neque iterum obstat secundum testimonium, vtique quod in veteri pagina nulla de traditionibus diuinis mentio inferatur: licèt enim sub expresso traditionis nomine non inueniretur, inuenitur tamen sub speciali ratione & conditione traditionum, & hoc quidem sæpissimè, vt patet ex supradictis cap. 15. ad finem probationis secundæ.

Licet in veteri lege non inueniãtur tradĩtiones diuinæ aperto nomine, inueniuntur aperta ratione.

195 Neque item obstat tertium, quia ibi non dicitur, quod in solis scripturis, sed quod in omnibus scripturis interpretabatur Christus discipulis, quæ de ipso erant: per hæc autem non tollitur quin simul traditionibus posset explicare idem. Præterquam quod germanus, ac verus scripturarum sensus à priscis agnitus, atque tractus temporibus rationem traditionis habebat. Maximè, quod orthodoxorum sententia non est extare traditiones non scriptas de omni verbo scripto, sed extare traditiones aliquas ex Apostolorum doctrina nondum in scripturas relata.

Germanus, ac verus scripturarum sensus à priscis agnitus, habet rationem traditionis.

196 Sed dato, quod in testamento veteri nullæ traditiones non scriptæ agnoscerentur: adhuc non esset consequens, quod in testamento nouo non extent. Illa enim lex adeò scripturis concludebatur, vt proptereà obtinuerit nomen legis scriptæ: Euangelica autem lex omnino distat ab illa, adeò vt de ratione, aut etiam de conditione propria eius non sit literis exarari, sed potius cordi, ac visceribus inseri iuxta Hieremiæ illud: *f* *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*, vtiq; per concionem, & prædicationem.

Lex scripta plus scripturis claudebatur, quàm Euangelica.

f *Hierem.* 31. 33.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Respondetur secundo argumento quarti capitis, & ostēditur quomodo traditiones non scriptæ per tot curricula temporum saluæ, & prorsus incorruptæ constiterint.

Sicut in lege naturæ seruatus est cultus Dei authentice per traditiones nō scriptas, sic in lege gratiæ: imò multo magis.

197 Ecundum argumentum obijcit, minaturque ruinam traditionibus eo ipso, quod scriptæ non sunt: sed falluntur traditores turpissimè, atque toto cœlo desipiunt. Etenim si primis Ecclesiæ temporibus, vtique in statu legis naturæ (quando Ecclesia ipsa quasi in incunabulis erat) traditiones non scriptæ, hoc est, ritus, atq; cultus Dei introducti (vt notauit Chrysost. a) per tot seculorum tempora (vtique per bis mille & eo amplius annos) seruari, atque conseruari fideliter potuerunt, quid iuris est, vt in prouectiori eiusdem Ecclesiæ ætate, videlicet, in statu gratiæ integræ, atque incorruptæ custodiri (etiam per longiora secula) non valeant traditiones non scriptæ, toto terrarum orbe Apostolorum voce præconiatæ, & ipso Dei verbo inductæ?

a Hom. 18. in Gesim.

198 Sanè sicut ritus illi originalis Ecclesiæ, indemnes perpetuò, & illæsi conseruati sunt aduersus tantorum temporum, seculorumque improbitatem, & solo continuo vsu, exercitioque illorum ita conseruati sunt, vt sic etiam conseruantur omnes vulgares linguæ; sic traditiones non scriptæ, & instituta Dei pro lege gratiæ literis numquam expressa retineri fideliter possunt per iugem successionem, vsum, atque traditionem à patribus in filios, & à filijs in nepotes, &c. Maximè quod firmius, stabiliusque durant, quæ cordibus continentur, & imprimuntur, quàm quæ in papyro exarantur. Verba autem legis gratiæ cordibus potiusquam chartis mandanda erant b Hieremiæ 31.

Firmius durātque cordibus, quā quæ papyro exarātur.

b Hierem 31.

Controuertitur hæc firmitas duplici obiectione.

199 Scio aduersarios duo contra hæc obijcire; primum est, quod si sacra doctrina posset integra, atque incorrupta absque scripturis seruari, frustra literis consignata esset, & proinde nulla Deo de tali consignatione cura incubuisset; maximè si melius, atq; incorruptius corde quà chartis retinetur. Cùm tamen Deus de scribenda, literisque mandanda reuelata doctrina anxius fuerit, & solicitus ipseque primus suis digitis initiauit, dicauit, & consecrauit eam: siquidem digito Dei lapideæ tabulæ exaratæ sunt.

Cur primis mundi temporibus sacra multum religio inoleuerit?

200 Secundum est, quod licet sacra doctrina extra literas consistere possit, at tanta imbecillitate, ac virtutis demissione consisteret, vt ferè nullius frugis esset: siquidem ideò prioribus mundi seculis sacra penitus religio interijt, illaque vitiorum monstra, portentaque dimanarunt: quoniam reuelata doctrina non scripto, sed quasi per manus ab ore in os transmittebatur.

201 Cæterum vtrumque fallacia, atque falsitate plenum, ac redundans est, scripturæ siquidem sacræ licet valde congruentes sint, atque necessaria ad melius opitulandum memoriæ, quæ labilis in hominibus, admodumq; fluxa est, etiam respectu rerum, quæ cordi sunt, etiamsi sint plures numero: item vt vniuersalius homines imbuantur in fide, dùm non tantùm verbo mentali, vt in lege naturæ, verum vocali, & scripto instruuntur: licet igitur Scripturæ sacræ necessariæ ad melius sint, non tamen ad simpliciter, vt patet, tùm in statu legis naturæ, quando sine verbo scripto Ecclesia condita, & diu conseruata est: tùm in statu legis gratiæ, quam solo sermone Christus seuit, & cumulatissime inseruit, nulla de scripturis edendis (adhuc cum volaret ad superos) mentione facta. Si tamen sacra doctrina conseruari neutiquam posset, neque robur retinere proprium nisi literis committeretur, iam scri-

Copiosior lex gratiæ: ac proinde debet literis, & cordibus mandari simul.

ſcriptura eſſet neceſſaria ad ſimpliciter, & proinde in omni ſtatu, ſiue inchoato, ſiue conſummato Eccleſiæ: quoniam vera Chriſti Eccleſia non valet (nec per punctum) conſiſtere abſque ſacra, atque ſalutari doctrina robuſta, & valida ad ſaluandum, magis quàm arca Noe ad protegendos homines, qui ſe totos illi commiſerunt in diluuio aquarum.

202 Neque verum eſt, quod Deus priorem Scripturam ſacram, vtique legis tabulas proprijs exarauerit digitis, ſed miniſterio Angelorum id præſtitum fuiſſe, oſtendit nobis Stephanus dicens, c quod Moyſes in Monteſinai cum Domino eſt collocutus, & Iſraelitæ acceperunt legem in diſpoſitione Angelorum. Oſtendit etiam Paulus dicens d ordinatam fuiſſe legem per Angelos in manu mediatoris: item ad Hebr. e docet præſtantiam Euangelij ſuper legem, vel ex eo dignoſci, quod lex ab Angelo fuit exhibita; Euãgelium verò à Filio Dei ore promulgatum.

Lex ſcripta tabulis fuit exarata Angelorum miniſterio.

c Act. 7.

d Ad Galath. 3.

e Hebr. 2.

203 Neque obſtat, quod exarata dicatur lex illa vetus digito Dei: quoniam (vt notauit Auguſt.) Angeli nomen Moyſes reticuit, Dei verò tantũ expreſſet, legiſque vniuerſum beneficium in Deum prorſus contulit, non verò in Angelum, quia Præfecto non miniſtro publica ſunt tribuenda ſtatuta. Vnde in actis non ſcribitur (ait Auguſt.) præco dicit, ſed Princeps vel iudex.

Ideo dicũtur tabulæ exaratæ digito Dei, quia Moiſes nomẽ Angeli reticuit, ne populus in idolatriã verteretur.

Sed licet daremus Deum per ſe ipſum ſacras literas initiaſſe, vt alia multa initiauit; vnde locus quod initiauit ſcripturam conſcius, quod reuelata doctrina aliter conſeruari non poſſit? cum videamus vel hodie tot traditiones non ſcriptas (v. g. de crucis nos ſigno muniendis à fronte in pectus; de pueris ante vſum rationis baptizandis: de hæreticis non rebaptizandis: & ſimilibus) vt marmore ſcriptas permanere.

204 Neque rurſum veritatem habet, ſed mendacium impudentiſsimum quod propter ſcripturæ defectum, atque traditionum imbecillitatem prioribus ſeculis pietas interierit, impietas verò flagrauerit: etenim præterquam quod Noe pietas, & integritas ſacris voluminibus commendatur f eiuſdem que pietatis, & iuſtitiæ aliquos non ſolùm adminiſtratores, ſed etiã æmulatores habuit apud multos, & maximè apud Auguſtinum, g qui etiam refert quod ſpeciali prouidentia Dei horrendum illud orbis excidium reſeruatũ fuit in ea tempora, in quibus iam diem clauſerant, & morti conceſſerant, qui non erant tali morte digni; & proinde quos ex poſteritate habet ſcriptura ſacra propagatos commemorat diluuio interemptos non fuiſſe. Ex quo euidenter ſequitur, quod citra ſcripturas poteſt incorrupta, & infracta vis diuinæ cognitionis ſeruari, & homines in officio, atque pietate continere: ab eſſe enim ad poſſe euidentiſsima eſt conſequentia.

Abſque doctrina ſcripta poteſt doctrinæ integritas ſeruari.

f Gen. 6.

g Lib. 3. de Trinit. cap. 11.

205 Igitur præter hæc, vel illud ſupradictis omnimodo refragatur quod (vt habet Gregor. Nazian. h) *Illa Deorum portenta non tàm ex rerum diuinarum ignoratione, quàm ex morum corruptione defluxit: nam cum ſcelerum conſcientia mentes flagitijs delibutas torquere ſoleat, Deos excogitarunt e iſdem ſceleribus contaminatos, vt liberius ea perpetrarent, quæ Deorum eſſent exemplo probata: & ſcelerati homines liberè accuſari non poſſent ab his, qui colebant numina eiſdem maculis ſuggillata.* Quod fuſè Athanaſ. i Auguſt. K & alij proſequuntur. Inter quos Cyprianus eſt dicens: *Sunt miſeris & delicta ipſa religioſa*: & Marcellus Palingerius decantans. l

Deorum protenta non tam ex diuinarũ rerum ignoratione, quàm ex morũ corruptione defluxit.

h Oratione in ſancti Pentecoſtem.

i Oratione contra idola.

K 2. De ciuit. c. 4 & 5.

l Marcellus Paling.

Quodque nefas maius dictis temerare profanis
Cælicolas? quid dementia noſtra veretur?
Concumbunt, rapiunt pueros, vitiantque puellas,
In cælo eſt meretrix, in cælo eſt turpis adulter.
Proh pudor! hæc pietas? hoc fas? hæc debita diuis
Gratia? thura, foci, pecudes, altaria, laudes.

Quod autẽ illius originalis mũdi ad tã fœda mõſtra defectio nõ in defectũ

quod

quod iam dixi) scripturæ, sed in reprobos, corruptosque hominum mores re fundenda sit, planè constat ex eo, quod adhuc post sedulo scriptas, literisque digestas supernaturales doctrinas perfidiæ maculis mortales respersi sunt, & infecti: imò qui ampliori diuinorum cognitione micabant, vt Israelitæ, non minus à religionis integritate aliquando desierunt, quàm hi, qui tali præsidio destituti erãt, vt patebit percurrenti volumina Esaiæ, Hieremiæ, Oseæ, aliorumque Prophetarum, in quibus inueniet illos Amorrhæorum, Cananæorum, AEgyptiorumque ignominiosissimis, & valde contumeliosis perculsos schematibus: quoniam huiusmodi gentium seipsos infamia fœdarunt, & atrocitatibus polluerunt. Imò (ne tantùm me vertam ad vetera) quàm sæpè videmus homines Christi, Apostolorumque doctrina cumulatissimè imbutos erroribus se inquinare, deturpare sceleribus, & sacrilegijs contaminare. Non ergo defectus morum à defectu scripturæ pependit, vel potest pendere, modò traditiones extent, vt extant, extiteruntque semper à prima origine Ecclesiæ.

Traditiones sacræ iã libris Patrum scriptæ sunt, ac proinde habẽt rationẽ doctrinæ scriptæ.

206 Præterquam, quod si tanti refert traditiones monumentis inserere, iam dudum in Ecclesiasticis libris, ac monumentis Patrum inserta sunt, & proinde instabiles redditæ, neque traditionibus non scriptis repugnat quonis modo scribi, sed vt suprà cap. 1. vidimus authenticè, & canonicè scriptas esse: quoniam alias transirent in rationem sacræ Scripturæ. De substantia enim traditionis non scriptæ id tantùm est, quod sit viua voce accepta, & continuata succesione à patre in filios quasi hæreditario iure deriuata, & consuetudine peruetusta firmata, & in libris authenticis nondum scripta; quod autem in alijs scribatur, non extrahit eam à ratione traditionis nõ scriptæ, vtpotè quod authoritate diuina, & Spiritus Sancti impulsu literis consignata non est. Vnde sicut verbum Dei, quod extra Scripturas sacras & authenticas inuenitur, dicitur verbũ Dei non scriptum, etiamsi alicubi scriptum videatur; sic etiam dicitur traditio non scripta.


Prędictorum summa.

207 Compendio igitur dicendum est, traditiones extra literas omnes posse indemnes, & innocuas seruari, vt etiam plura ex præceptis Pytagoricis, atque similibus post tot seculorum tempora fideliter seruata sunt, & præ manibus habita. Quod si non plenè omnia (vtpotè quod multa interciderunt) in causa est, quod tanquam minoris momenti paulatim interrupta sũt, & obliuioni tradita. At traditiones diuinæ tanquam instituta superna in magno honere semper habitã sunt, & habenda, & ideò obliuione deleri, vel etiam obnubilari neutiquam poterunt; maximè suffragante specialissima prouidentia Dei erga bonam, congruentemque Ecclesiæ gubernationem, ad quam traditiones istas pertinere, vel experimento ipso comprobatum est. Vt igitur literarum sacrarum custodia, & conseruatio, è re Dei est propter Ecclesiæ regimen, licet alia multa volumina temporum calamitatibus, iniurijsque interciderint, sic Apostolicarum traditionum idemnitas, & fida protectio, etiamsi aliæ doctrinæ ore tenus acceptæ, perpetua sint obliuione exterminatæ.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Respondetur 3. argumento 4. cap. & ostenditur Scripturas sacras absque traditionibus non esse totam religionis regulam.

Grauedubium.

208  Ertium argumentum ex parte reuocat nos, & reducit ad quæstionem illam præcedenti tractatu absolutam de religionis norma. Vtrùm propriè conueniat scripturis, prout locis ibidem notatis, hoc est argumento tertio, Augustino placuis-

placuisse videtur. Quibus addi possunt aliqua tàm eiusdem sacri Doctoris, quàm etiam aliorum similium eximiè commendantium, atque extollentium Scripturam sacram, vt omnino perfectam, atque sufficientem ad omnia credenda, & operanda, in quibus tantùm veræ regulæ ac normæ ratio videtur posse consistere.

209 Sanè August. expresse asserit: a *Etsi non omnia scripta sunt, quæ Christus fecit, tamen electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbãtur* Item: b *In his, quæ apertè in scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; viuendi.* Et rursum: c *Quidquid Christus de suis factis nos legere voluit, hoc scribendũ Euangelistis tanquam suis manibus impertiuit.* Et alibi: d *Nihil est quod non possit sacra Scriptura dilui.* Arg. 1. ex Aug. à parte affirmatiua.

210 Augustino antiquiores Patres, iunioresque consentire videntur. Nam in primis Clemens e Romanus Pontifex discipulus Petri ita inquit in epistola relata à Gratiano nostro: f *Cùm ex diuinis scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit si ex eruditione communi aliquid proferat.* Arg. 2. ad idem ex Clem. ad Rom.

211 Cui consonat Greger. XIII. Pontifex in præfatione Regalium Bibliorum scribens ad Regẽ Hispaniæ: g *Quod ad Theologiam attinet, quæ est summa Philosophia, his libris omnia nostræ religionis, & diuinitatis mysteria explicantur. Quod verò attinet ad eam partem, quæ moralis nominatur, hinc quoque ad omnes virtutes præcepta colliguntur. Quibus quidem duabus partibus omnis nostræ salutis & fœlicitatis ratio continetur.* Arg. 3. ad idem ex Greg. 13.

a Tract. 5. in Ioã.
b Idem lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 9.
c Idem t. 4. lib. 1. de consen. Euang.
d Idem lib. 3. c. 4. contra duas epist. Pellag.
e Epist. 5. ad suos discipulos.
f 33. d. cap 14.
g Præfat. Bibliorum Antuerp.

212 Deinde Irenæus habet: h *Sacræ Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei, & ab spiritu eius dictæ.* Item: i *Audiui à quodam presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos viderant, & ab his, qui didicerunt sufficere veteribus, de his, quæ sine consilio spiritus egerant, eam, quæ ex scripturis esset, approbationem.* Itẽ: k *Legite diligentius id quod ab Apostolis vobis est Euangelium datum, & legite diligentius Prophetas, & inuenietis vniuersam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis.* Arg. 4. ex Iren. ad idem.

h Lib. 2. contra heres cap. 14.
i Idem lib. 4. cap. 45.
k Ireneus lib. 4. cap. 66.

213 Tertiò Chrysostomus ait: l *Omnia Euangelium continet, & præsentia, & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusa.* Et author imperfecti: m *Quidquid quæritur ad salutem totum iam adimpletum est in scripturis.* Arg. 5. pro parte affirmatiua ex Chrys.

214 Demum Cyrillus Alex. Iuliano obijcienti: n *Vobis vestrarum scripturarum lectio sufficit. Cùm melius sit ab illis homines arceri, quam ab idolothytorum cibis.* Iuliano vtique hæc obijcienti respondet. *Igitur sufficit quidem diuina scriptura ad faciendum eos, qui in illa educati sunt, sapientes, & probatissimos, & sufficientissimos, habentes intelligentiam. Indigemusq; ad hoc prorsus nihil externis magistris.* In eadem mente sunt Theoph. o Scotus, p & Gerson. q Arg. 6. ad idem ex Cyrill. Alex.

l Hom. 1. sup. ad Rom.
m Hom. 41. sup. Matth.
n To. 3. lib. 7. contra Iulianum.
o Sup. 2. ad Timot.
p Prologo sup. sentent.
q De consolat. Theolog. lib. 4. prosa 3.

Si igitur in Scripturis sacris omnia cognitu necessaria pro salute nostrâ inueniuntur, videtur consequens intra illas contineri regulam, imò eas esse propriè regulam religionis Christianæ. Nam quod in argumento potissimo responsum est, videlicet, Scripturas sacras plura, quàm necessaria fidei, religionique comprehendere, nõ videtur extrahere illas à ratione regulæ propriè dictæ, sed tantùm à ratione regulæ ex amussim compositæ, & compaginatæ ad religionis normam; sicut licet iura ciuilia, & Pontificia sæpè sese diffundant ad alia, quàm ad præcepta propria, & documenta, vtique ad leges, & canones, non tamen propterea amittunt rationem propriæ regulæ humanarum, ac ciuilium actionum. Maximè quod quid sit de ratione regulæ, ex eo tamen quod ad omnia sufficiunt, conuincitur traditiones non scriptas necessarias non esse, & proinde non admittendas, nedum religiosè, ac piè tenendas, & venerandas, quod est potissimum aduersariorum intentum, tã in hoc argumento 3. quàm in omnibus alijs.

215 Nihilominus verum est, ac planè perspicuum, quod hactenus diffiniuimus, videlicet, scripturas, licèt contineant plures religionis regulas, vt- Scriptura sacra

potè

non est religionis regula adæquata.

potè scripturas canonicas (canon enim Græcè idem est quod regula Latinè) non tamen esse propriè loquendo religionis regulam. Nam in primis de ratione regulæ propriè dictæ est (vt vel ipsi aduersarij fatentur) quod per omnia adæquetur ei cui accommodatur, hoc est, ne sit copiosior, aut contractior, longior, aut diminutior re illa, quam regulat, & mensurat adæquatè: & planè esse debet sicut definitio nec redundans, nec diminuta; alias vel plura, vel pauciora, quàm opus esset decernerentur; quod planè esset contra conuenientem rationem disciplinæ. At scriptura si aptetur, & accommodetur, prout sic credendis fide diuina, planè est diminuta, quod neque ipsi aduersarij negabunt, vtpotè quod credenda fide diuina sunt omnia diuinitus reuelata, adeò vt omnia illa, & sola illa sint fide diuina credenda, & obiecta per se talis fidei, quæ tali reuelatione sunt propalata, & ob id omnino, ac præcisè veniunt tali fide credenda: quia tali sunt hominibus reuelatione proposita, quocumque tempore, aut quouis modo fuerint sic reuelata. Cùm igitur plura sint diuinitus reuelata quàm scripta, vt patet ex supradictis, maximè capite 7. consequens est, scripturã ex hac parte non esse propriè regulã fidei, sed reuelatum, vt sic habere rationem talis regulæ, siue reuelatum hoc sit de substantialibus, siue tantùm de accessorijs ad religionem, ac fidem, de quibus aduersarij non dubitant planè concedere, non omnia scriptis comprehensa fuisse, vt sæpè hactenus vidimus.

Multa sunt in scripturis, non necessaria ad religionis regulam

Multa desunt scripturis necessaria ad fidei normam.

216 Si autem comparetur, vel accommodetur scriptura cum ipsis, quæ fides docet, tanquam necessaria cognitu ad salutem, planè redundans est, atque superflua in ratione regulæ: quoniam multa, imò pleraque sunt in illa, quorum cognitio necessaria non est, vt sunt omnia illa in argumento relata, & alia huius generis: horum enim vincibilis, supinaque, nedum inuincibilis, & inculpabilis ignoratio saluti non obest; & proinde ex hac parte scriptura à ratione regulæ exorbitat, & planè superfluit, & proinde talis regulæ obtinebit rationem solum id quod adæquatè contineat omnia, & sola illa, quæ cognitu necessaria sunt ad salutem.

Deest Scripturis sacris claritas necessaria ad rationẽ regulæ.

217 Si demum conferatur scriptura cum illis, quæ Ecclesia docuit seruare, retinere, ac colere pro bono fidelium regimine, tunc etiam diminuta inuenitur, vtpotè quod quàm plurimi ritus necessario ad id obseruandi omnino extra literas sunt, vt patet ex testimonijs Patrum cap. 2. relatis.

Multa inueniuntur in sacra Scriptura prima fronte clara, & ad intelligendum obscura.

218 Item de ratione regulæ propriè dictæ est, vt sit perspicua & euidẽs, vtpotè lumen ad rectè dignoscendum, atque infallibiliter iudicandum quid rectum, quidve obliquũ sit in suo genere: iuxta quæ Arist. tradidit: r at scriptura suapte natura obscura est, & difficilis vt probatum reliquimus in tractatu de scriptura dub. 11. Ergo non potest habere rationem regulæ, neque illam participare, vsq; dum perspicua, & aperta reddatur per legitimam explanationem. r 1. De anima tex. 85.

219 Nec valet dicere, quod aliqua inueniuntur in scripturis satis perspicua; vt Deum esse, &c. non inquam valet. Primò, quia ad rationem vniuersalem non sufficiunt aliquæ conditiones particulares: non enim Petrus venit dicendus albus absolutè, quia albus sit secundum dentes, si tamen toto corpore inuenitur AEthiops. Secundò, quoniam multa sunt in scriptura, quæ prima fronte perspicua videntur, quæ tamen sunt ad intelligendum obscura, & interpretatione indiga ad euitandum turpissimum in fide lapsum, v. g. illud: *s. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum.* Vbi cum sit apostrophe ad personam quæ misit Christum, videtur quod sit sermo tantùm ad Patrem, cum tamen non ipse solus sit Deus, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus: & alia id genus quàm plurima. s Ioann. 17. 3.

Esto scriptura cõtineret omnia ad salutem necessaria; adhuc assignãdæ essent traditiones sacræ.

220 Inde perspicuum fit, quod licet contineret scriptura omnia, & singula, quæ sunt obiectum fidei, vel omnia cognitu necessaria ad salutem & ad religionem Christianam, prout sancti Patres allegati adstruunt, adhuc sini traditionibus propriè loquendo non esset religionis regula: quia sine illis perspicua,

perspicua & aperta non est, vtpotè quod legitimus, verusque sensus illius Euangelicis prædicatoribus promulgatus est, & quasi per manus traditus, & hactenus authenticè non scriptus, & proinde traditio effectus.

221 Imò licet scripturæ sensus ad sensum paterent, vt mentientes cōtendunt hæretici; adhuc præter traditionum subsidium sortiri neutiquam posset scriptura rationem veræ regulæ, quoniam diuinorum mensura planè debet esse diuina, vtpotè quod omnis mensura debet esse eiusdem rationis cum suis mensurabilibus. Et non tantùm debet esse diuina quoad se, sed etiam quoad nos, hoc est, cognita & habita pro diuina, aliàs non assumeretur pro norma, & regula diuinorum. At præter traditiones diuinas nihil est in tota Ecclesia per quod ipsa discernat, & iudicet hæc, & hæc volumina vera esse & diuina: per traditiones autem id infallibiliter noscit, quia sic successione perpetua ab Apostolorum temporibus transmissum, atque vniuersaliter traditum est. Ergo ratio regulæ in scripturis haberi non potest, nisi traditionum subsidio & suffragio, & ex consequenti perfectio scripturarum quantacumque sit, non solùm non derogat traditionibus, aut illas inutiles reddit, sed arguit omnino necessarias. Præter traditiones diuinas nihil est per quod Ecclesia iudicet, de Scripturis diuinis.

222 Præterquam quod sancti Patres cùm expresse ac nominatim produxerint non omnia religionis dogmata in litteras fuisse relata, vt patet ex cap. 12. etiã huius dubij, consequens fit quod cum scripturam prædicant perfectã, & integram ad omnia cognitu necessaria, intelligendi sint cũ grano salis (ne sibi ipsis apertissimè repugnare videantur) vtiq; quod intelligēdi sint potissima, atque maiori ex parte, veluti Nicænũ symbolũ, vel potius Constantinopolitanum, quod canitur in Ecclesijs per singulas Dominicas communiter appellatur non solum regula fidei, verùm etiam adæquata regula fidei, imò ad id constructum, atque compactum videtur; cum tamen nō contineat omnes articulos fidei: non enim continet articulum descensus Christi ad inferos, qui tamen in symbolo Apostolorum expressus est. Quomodo sint intelligendi Patres cum loquuntur de sacra Scriptura tãquã de fidei adæquata regula

223 Item verum, ac legitimum sensum possunt habere elogia ex sanctis collecta Patribus, sine præiudicio sententiæ nostræ. Verum enim est, quod scriptura continet omnia necessaria ad salutẽ, siquidem mediatè continet omnia, quæ speciatim, & in particulari profert ac refert, mediatè autem illa, quæ quasi generatim, & in communi proponit, vti traditionum diuinitatẽ, vt patet ex supradictis capitibus 5.6. & 7. & & præmissis in hoc dubio, & Ecclesiæ infallibilem authoritatem, vtpotè quæ columna adscribitur, & fundamentũ fidei & veritatis, & cui audiendum est sub reatu perfidiæ, vt patet ex his quæ Matthæus habet. t Scriptura mediatè, vel immediatè cōtinet omnia ad salutẽ necessaria.

t Matth. 8.

Quare sicut quæ per amicos possumus per nos ipsos possumus, vt triuiali, & communi proloquio vulgatum videmus, sic scriptura dicitur continere comprehendere, proferre, & dicere, quæ vel per se ipsam immediatè, vel per ipsos, ad quos nos mandat, allegat, & remittit, docet.

224 Ex his planè patet solutio ad testimonia inducta ex omnibus sanctis Patribus: omnia siquidem illa intelligenda sunt juxta modificationes prædictas, quibus communis modus loquendi & scribendi exprimitur. Sæpè enim indiffinitæ propositiones proponuntur, vt vniuersales, non quia vniuersales sint, aut pro vniuersalibus habeantur, sed quia vniuersaliter asseruntur, aut etiam negantur, quæ potiora & communiora continent, sicut dicitur, v quod in aduentu Magorum turbatus fuit Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, non quidẽ quia omnes, & singuli turbati fuerint, vt de iusto Sacerdote Simeone, ac de Anna prophetissa, & similibus certum est non fuisse turbatos, sed quia maior ac potior ciuitatis pars plane cum Herode ipso turbata fuit. Solutio ad testimonia Patrum.

v Matt. 2.

Vnde ipsi Patres in ipsis citatis elogijs remittunt nos ad fontes interpretationum eloquiorum Dei, vtique ad Ecclesiasticos scriptores & Doctores,

225 ctores, vt ſpecialiter videri poterit apud eruditiſsimũ pariter, ac ſanctiſsimũ & inuictiſsimum Martyrem Irenæum citatum in elogio 2. vtique lib. 4. aduerſus hæreſes capite quadrageſimo quinto.

De Auguſtino etiam (qui potiſsimè cauſam dedit quæſtioni) patebit cumulatiſsimè, capite ſequenti regula prima.

Antequam Eccleſia aſſignaſſet verũ iudiciũ de traditionibus diuinis lapſi ſunt circa illas aliqui Patres.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Reſp. 4. argumen. primi capitis, & aſsignantur regulæ ad certo dignoſcendas traditiones non ſcriptas.

Indicantur notæ quibus Eccleſia ducta eſt ad ferendum verum iudicium de traditionibus ſacris.



VARTO Argumento, benè ibi reſponſum eſt, & ad replicam reſp. quod ſicut aliquãdo aliqui ex ſanctiſsimis Patribus decepti ſunt in aſſerenda, vel neganda authoritate ſacra aliquorum librorum, per quod tamen nullum præiudicium literis ſacris patuit, quoniam poſtea vniuerſalis Eccleſia quidnam eſſet tenendum in re illa definiuit, & cuius definitioni protinus ipſi adhæſerunt; ſic nihil obſtat, quod etiam circa traditiones aliquas aliqui aliquando ſint lapſi: nam Eccleſia poſtea integrum, irrefragabileque iudicium tulit de illis, cui ipſi per omnia ſubſignarunt, aut ſaltē ſubſignaſſent ſi ſuperſtites fuiſſent.

226 Notæ autem, vel regulæ, quibus Eccleſia adducta eſt, vel adduci potuit, ac poterit ad ferendum certum ac ſtabile iudicium de traditionibus, & quibus nos inſiſtere oportet ad certam; ſolidamque cognitionem illarum, variæ admodum, ſed validæ ſunt, quas in gratiam fidelium libet in præſentiarum retexere.

Quod vniuerſalis tenet Eccleſia ſine ſcriptura, & ſine Cõcilijs, ab Apoſtolis traditum fuiſſe credẽdum eſt.

227 Sanè apud Aug. a prima omnium regula conſtituitur: *Quod vniuerſalis tenet Eccleſia, nec Concilijs conſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.* Et rurſum: b *Multa non inueniuntur in libris Apoſtolorum, neque in Concilijs poſterorum, & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur,* Item: c *Sunt multa quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.*

a Lib. 4. contra Donat. cap. 24.
b Idem vbi ſup. lib. 2. cap. 4.
c Idem ibid. lib. 5 cap. 23.

Suffragatur huic regulæ Leo Magnus.

228 Suffragatur huic regulæ Leo Magnus dicens: *Dubitandum non eſt quidquid in Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de traditione Apoſtolica, & de ſancti Spiritus prodire doctrina.*

229 Suffragatur etiam euidentiſsima ratio deducta ex eo, quod Eccleſia columna eſt atque firmamẽtum veritatis, d & inacceſſa arx, aduerſus, quam portæ inferi præualere non poſſunt. e Ex quo planè ſequitur, quod vniuerſalis Eccleſia errare non poſsit, & proinde, quod quidquid reputat tamquã de fide, verè & realiter ſit de fide, & proinde diuina reuelatione, Apoſtolicave traditione traditum.

d 1. ad Thimot. 3.
e Matth. 16.

Quidquid Eccleſia reputat tãquam de fide, verè & realiter tale.

230 Huic regulæ aduerſarij repugnant obijcientes nullam huiuſmodi traditionem in Eccleſia perpetuo ſeruatam, & tamquam de fide acceptam poſſe nos ſignare: ſed mentitur iniquitas illis: ſiquidem Euangeliũ Matth. v.g. canonicum eſſe habemus ex traditione accepta tamquam de fide, & ſeruata toto tempore Eccleſiæ. Item quod Dei Genitrix permãſerit virgo ante partum, in partu, & poſt partum, traditio eſt ab origine Eccleſiæ Chriſti in ſtatu gratiæ, & quidem vt obiectum fidei, ac materia fidei, licèt expreſſe in ſacris literis nõ contineatur. Imò adeo implicitè, vt potius difficultatẽ pariat, quã perſpicuitatem, atque irrefragabilem certitudinẽ. Cũm enim dicitur, quod eſt Maria peperit filium ſuum primogenitum, & quod antequam cõuenirent

Aſsignãtur dogmata præclara fidei ex traditione habita, vt ipſamet perpetua Dei Genitricis Virginitas.

ipsa,& sponsus eius Ioseph, peperit infantem Christum, non tàm perpetua virginitas eius asseritur,quàm dubitandi ansa ministratur. Caliginem tamen omnem dissipat perpetua Ecclesiæ traditio habita pro re fidei, quod semper extiterit,ac permanserit omnino virgo.

Quidquid in Ecclesia vniuersaliter est admissū in diuinā traditionem debet refundi.

231 Item August. *f* ipse instituens præmissam regulam, exempla traditionis prodit: ait enim: *Illa quæ non scripta,sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur,datur intelligi,vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, ac statuta retineri: sicut quod Domini Passio,Resurrectio,& Ascensio in cœlum, & aduentus Spiritus sancti anniuersaria celebrentur solemnitate,& si quid aliud occurrit quod seruatur ab vniuersa quacumque se diffundit Ecclesia.* Etenim tamquam constitutiones diuinas perpetuo Ecclesia venerata est huiusmodi solemnitates,& proinde illas, vt reuelatas noscit,& colit:quæ autem reuelata sunt,de fide sunt. Solida ergo & optima regula præmissa est.

f Epist. 118. ad Ianu cap. 1.

232 Secunda regula est. Quidquid Ecclesia recipit tamquam de fide,quouis temporē illud recipiat,modò ex biblijs sacris non exprimat illud, aut deducat, hoc ipsi traditioni diuinæ adscribēdum est, etiāsi â primis,vel priscis Ecclesiæ temporibus generatim non fuerit ab omnibus& vbiq; receptū.

Idē est, si denuo quouis temporū recipiat Ecclesia dummodo nō ex biblijs, vel Concilij.

Hæc regula imprimis patet experimento librorum canonicorū,qui Deuterocanonici appellantur: horum enim authoritas ab initio pro diuina, ac sacra in Ecclesia obseruata non fuit:benê tamen postea. Deinde probatur ratione. Quia nihil potest certo & infallibiliter haberi tamquam de fide, nisi sit reuelatum â Deo, vtpotè quod reuelatio diuina est ratio formalis obiecti fidei. Sed reuelatorum apothecæ duæ tantùm sunt, vtique scriptura, & traditiones, seu verbum scriptum,& nō scriptum. Ergo si in illo non est,in isto erit, siquidem Ecclesia (vt diximus) decipi,aut falli non potest, maximê vniuersalis Ecclesia,& maximè in his,quæ sunt fidei, atque communis fidei.

Reuelatorum apothecæ duæ tātū sunt, scriptura sacra & traditiones

234 Hinc deprehendemus obstrusam proculdubio rationem, cur Tertull. Aug. Epiphanius,& alij hæresis insimulauerint quartodecimanos diffitentes sanctum Pascha Dominica die celebrandum cum Christianis,& acriter proteruêque contendentes celebrandum, ac peragendū esse in quarta decima luna cum *Iudæis*. Etenim in causâ id tantùm esse potuit, quod alicui reuelationi diuinæ procaciter refragarentur: aliter enim, aut aliomodo hæresis labem non incurrerent. Cùm igitur non refragarentur alicui reuelationi scriptæ, quoniam controuersia illa per scripturas definita non est, nec definiri potuit, vtpotè nihil de illâ scripturis dictantibus,aientibus, aut negantibus: consequens est,quod refragarentur alicui reuelationi non scriptæ,& proinde traditioni,quæ sola post sacras literas reuelationem continet: reuelatæ autem doctrinæ procaciter refragari hæreticum est.

Cur notētur hæretici, qui Pascha celebrauerint cum Iudæis.

235 Tertia regula sit, quotiens vniuersa Ecclesia aliquid seruandum assumit,quod præter Deum nemo instituere potuit,& tamen extra literas est, fit euidens,quod sit traditio,ac verbum Dei non scriptum.

236 Ratio huius regulæ in promptu est, quod vniuersalis Ecclesia extra errandi aleam, lineamque tàm in faciendis,quàm in credendis manet, vtpotê columna, firmamentumque veritatis in religionis rebus. Quare ex hoc ipso quod seruat aliquid quod solus Deus instituere potuit, conuincitur, quod seruat illud tamquam institutum diuinū,& proinde quod verê, ac propriè sit institutum Dei,& quidem non scriptum, quia extra canonicam omnem scripturam est, atque adeò traditio diuina.

237 Exemplum appotisimū habemus in baptismo paruulorū, quod solus Deus potuit pro illis stabilire, vtpotè quod ad illum tantū pertinet disponere, quod non habentes rationis vsum, nec motum fidei ad credendū, adhuc sacro valeant lauacro salutariter tingi, postquam statutū est: *g Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*. Vbi fides ad baptismū expresse, ac planè præexigitur, quam tamen paruuli præbere, seu præhabere non possunt.

g Matth. vlt.

Quando Ecclesia seruādū assumit, quod solus Deus potuit institue- nec habetur in literis sacris, ad traditiones debemus recurrere.

Ratio præcedentis dicti. Exemplum dicti præcedentis.

Exem-

Aliud exemplũ.

238 Exemplum item est in laicorum communione sub altera tantùm specie: Etenim postquam Christus edixit. *b Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: at solum spectat disponere, quod ob rationabiles causas laici non communicent sub vtraque specie, aut saltem quod ita communicare non teneantur, sed solùm id Presbyteris, Sacerdotibusque aptetur. h *Ioan. 6.53.*

Quod Ecclesia ab initio recepit (et si potuerit institui ab ipsa) fundi tur in Apostolicas traditiones.

239 Quarta regula est, quod ab Ecclesia perpetuò agnitum, & obseruatũ est, & tamen de authore institutionis non constat, iure id in Deum refunditur, vel in eius Apostolos, etiam si talis obseruatio potuerit ab Ecclesia sanciri. Sic planè Aug. *i* citatus pro regula 1. in 1. & 2. elogijs. i *Contra Donatistas, lib. 4. c. 24. Idem epist. 118. ad Ian. c. 1.*

Ratio huius regulæ est, tùm quod humanum inuentum etiam Ecclesiasticum non sic propere ab initio vniuersam Ecclesiam peruaderet; mundique oras late cingeret: tùm quia institutum nouitium non sic vniuersalẽ Ecclesiã latère potuit, vt eius priorem originem prorsus ignoraret. Quare si retro seculis computatis adhuc non inuenitur recentius, sed potius adeò pristinũ, vt Apostolicum tempus; consequens est; ab Apostolorum fontibus emanasse, & originẽ ab illis traxisse, maximè si alias Apostolicis institutis dignum valdè esset: vt quadragesimale ieiunium, & alia: de quibus nos late dubio sequenti. Cùm enim instituta hæc adeò inclyta, & optima sint, inclytum etiam, & optimum authorem requirunt; quia arbor mala non potest bonos fructus facere; quare consequens est, quod salutare institutum Apostolorum temporibus proditum Apostolicum institutum credamus, vtpotè quod fuit illis gere manum Ecclesiam bonis artibus, moribus, legibusque instruere.

Consensus omniũ Doctorũ, credentium aliquid esse ab Apostolis traditũ, pro canonica traditione habetur.

240 Quinta regula est, quidquid omnes Ecclesiæ Doctores communi consensu docent ab Apostolica traditione descendere, pro traditione Apostolica omnino accipiendum est.

241 Ratio est in promptu quia vniuersi Ecclesiæ Doctores labi in errorem non possunt, nec decipi, aut etiã decipere, vt late ostẽdimus tàm in tractatu de Ecclesia, quã de Concilijs. Sunt enim Doctores Ecclesiæ, velut mens illius, quare si ipsi deciperentur, videretur mens Ecclesiæ decepta, & in errorẽ lapsa. Vnde pro traditione Apostolica omnino habetur imaginũ cultus: quoniam Concilium Nicænum *k* secundũ generale eũ pro Apostolica traditione asseruit: & idem esset si citra Cõciliũ, citraq; omnẽ Synodũ singuli sigillatim Doctores eum pro Apostolica traditione vulgassent: quia vniuersi Doctores etiam priuatim positi, & sepositi falli in rebus Religionis non possunt. Neq; opus est ad id quod omnes in vniuersum Doctores sententiã de re ista protulerint; quia non ab omnibus omnia sunt expectanda, sed satis est quod aliqui ex peritioribus, & maioris momẽti Patres illud expresse affirmauerint & tamen ab alijs agnitum ipsi non repulerint, sed neque contradixerint. *K actione vltima.*

Vniuersi Doctores Ecclesiæ nõ possunt errare.

Quidquid pro traditione diuina in Apostolicis Ecclesijs seruatur, diuina traditio est.

242 Vltima tandem regula est. Haberi deberi pro traditione Apostolica, quidquid pro tali habitum, & obseruatum est in Ecclesijs Apostolicis ab initio institutionis suæ.

Hæc regula patet ex eo, quod huiusmodi Ecclesiæ primitus ab Apostolis instructæ ritibus, atque moribus sunt, quare consuetudines à prima origine ductæ, & conseruatæ in illis, necessario sunt Apostolicæ, & proinde traditiones diuinæ. Hoc autem maximè habet verum in illa Ecclesia Apostolica, in qua integra, & continuata successio Prælatorum ab Apostolis est, qualis inuenitur vnica Romana Ecclesia. Vnde omninò sequitur illam traditionem habẽdam pro Apostolica, quam Romana Ecclesia pro tali veneratur, ac colit.

Subscribit huic placito Irænæus duobus in locis.

243 Huius enim regulæ meminerunt Irenæus, *l* & Tertullianus: ille enim inquit. *Obaudire oportet Presbyteros Ecclesiæ, qui successionem habent ab Apostolis, vt ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum Patris placitum acceperũt.* Item *m per traditionẽ Ecclesiarũ, quas fundarũt Apostoli, maximè Petrus & Paulus, confundi eos, qui obstrepunt veritati.* Et addit de Romana Ecclesia. *Ad hanc propter potentiorem pluralitatem necesse est omnem Ecclesiam* l *lib. 4. aduer. hæres. cap. 43.* m *Idem li. 3. c. 3.*

 con-

conuenire : hoc est,qui sunt vndique fideles,in qua semper ab his, qui sunt, vndique conseruata est ea quæ ab Apostolis est traditio.

n *Lib. de præscriptione c. 21.*

224 Tertullianus *n* similiter ait. *Hanc igitur direximus præscriptionem, si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos Prædicatores,nisi quos Christus instruxit; quia neque alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit.* o Neque alijs videtur reuelasse filius quàm Apostolis quos misit ad prædicandum,quod autem prædicauerint id quod illis Christus reuelauit, & id perscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt,ipsi eis prædicãdo,tàm viua(quod aiunt)voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt constat proinde omnem doctrinam,quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret veritati deputandam, id sine dubio tenentes, quod Ecclesia ab Apostolis Apostoli à Christo,Christus à Deo suscepit. *Et* in sequentibus ostendit regulam istam de ipsis Apostolorum traditionibus desumptam fuisse.

In super & Tertullianus.

o *Mat. & Luc. 10.*

245 His sanè indiculis,siue regulis non ægrè deprehendere poterit quiuis non indoctus fidelis,quænam sint veræ traditiones Apostolorum vocales,vt illis velut armis ludere possit contra hæreticorum impietates; exemplo quidem maiorum,& omnium antiquorum Patrum,qui quoties de Ecclesiæ dogmatibus,ritibus,atque moribus controuersiæ exoriebantur ad Apostolicas,traditiones vt ad sacram anchoram sese recipiebant; sunt enim aduersus conatus,& hæreticorum insultus murus Eneus, & aduersus eorundẽ proteruiam ignita tella.

Patres quoties controuersiæ de fide vel dogmatibus Ecclesiæ oriebantur, ad traditiones se recipiebant.

246 Est tamen notandũ in præsenti nos tantũ agere de traditionibus propriè dictis,illis videlicet,quæ circa fidei,vel morum, vel sacrorum rituum doctrinam viua tantùm voce, praxive, aut exẽplo à primis Ecclesiæ Patribus vtique ab Apostolis extra litteras datæ sunt,& à posteris vsque ad nos in populo Dei signatæ. Non autem agere de omnibus omnino verbis, aut etiam rebus,quæ Christus vel per se,vel per suos Apostolos docuit,aut fecit: nam Christus ab eius infantia,vsque ad prouectam ætatem licèt non omnino siluerit, tamen quidnam dixerit,aut fecerit silentio sepultum videmus Apostoli item cum vniuersum orbem peragrarint,& illum sua prædicatione repleuerint,multas Ecclesias erexerint,multos etiam Episcopos Presbiteros,ac Diaconos ordinauerint dubium non est plura dixisse, aut fecisse quàm memoriæ prodita sint. Quare non tantùm extra literas, verùm extra linguas sunt multa diuinitus facta & dicta,licèt Spiritus sancti Schola complectens Scripturas sacras, atque traditiones Apostolicas satis nobis completa sit:his enim comprehenduntur omnia nobis ad salutem vtilia.

Explicatur quæ siue quarũ rerũ sint traditiones de quib⁹ in præsenti.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Respondetur 5. argumento 4. cap. & occasione illius controuertitur dubium sequens:

27 QVINTVM Argumentum obtradit nos in discussionem traditionum Apostolicarum in particulari, cui vt obsecundemus, & morem (prout opus est)geramus,sit.

VOLV-

VOLVMINIS DE TRADITIONIBVS altera pars.

Vtrùm Apostolicæ traditiones certò sciri, atq; in particulari possint dignosci: & velut digito ostendi?

SVMMARIVM.

1 *Agnitio sacrarum traditionũ in particulari, negatur ab hæreticis.*
2 *Arguitur primo à parte negatiua.*
3 *Arguitur secundo ad idem.*
4 *Arguitur tertio ad idem.*
5 *Arguitur quarto à parte negatiua.*
6 *Confirmatur præcedens argumẽtũ*
7 *Arguitur quinto ad idem.*
8 *Arguitur sexto à parte negatiua.*
9 *Arguitur septimo ad idem.*
10 *Arguitur octauo à parte negatiua.*
11 *Arguitur nono ad idem.*
12 *Arguitur decimo ad idem.*
13 *Arguitur vndecimo ad idem.*
14 *Arguitur duodecimo ad idem.*
15 *Ostenditur notitia sacrarum traditionum in particulari.*
16 *Adducuntur Patres velut digito ostendentes illas: & primo Ignatius.*
17 *Irenæus à parte affirmatiua.*
18 *Eusebius à parte affirmatiua.*
19 *Tertullianus à parte affirmatiua.*
20 *Origenes à parte affirmatiua.*
21 *Traditio baptismi paruulorum non solum agnita Patribus, sed ab hæreticis aliquot recognita.*
22 *Baptismi traditio ex Dionysio.*
23 *Baptismi traditio ex Origene.*
24 *Eadem traditio de pueris baptizãdis secundum alios Patres.*
25 *Ratio traditionis baptismatis paruulorum.*
26 *Traditio de non rebaptizandis hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus*
27 *Inuehitur Augustinus in Cyprianum pro dicta traditione non rebaptizandi.*
28 *Traditio sacra de ieiunio quadragesimali*
29 *Patres pro traditione dicti ieiunij afferuntur.*
30 *Traditio cultus sacrarum imaginum.*
31 *Traditio de signo Crucis quo nos signamus, vsq; ad numerũ 38.*
32 *Crux signum Christi.*
33 *Frequenter nos figura crucis signamus, vt memoriam passionis excitemus.*
34 *Crucis signaculo monemur habere illam pro anchora fidei.*
35 *Crucis signaculo Christiani à nõ Christianis secernuntur.*
36 *Crucis impressione ad patientiam cohortamur.*
37 *Vis crucis à Dionysio Areopagyta*
38 *Crux armatura nostra ex S. Martiali.*
39 *Quænam sit traditio diuina?*
40 *Cultus Dominicarum dierum traditio Apostolica, ex Tertulliano.*
41 *Traditio Dominicæ diei ex Augustino.*
42 *Cultus diei Dominicæ ab Ecclesiæ primordijs.*
43 *De cultu diei Dominicæ nihil Scriptura prodit.*
44 *Antiquitas ieiuniorum quatuor temporũ ex summis Pontificibus.*
45 *Nonnulla ex veteris lege, quæ ad optimos mores instituendos conducebant, Apostoli laudabiliter mutuati sunt.*
46 *Ieiunium nostrum non coincidit cum legali prohibitione ciborum & si cibos discernat.*
47 *Institutio ieiunij quatuor temporũ non à Calixto, sed ab Apostolicâ traditione habuit initium, contrà hæreticos.*

CAPVT PRIMVM.

Authores, & argumenta partis negantis traditiones non scriptas in particulari.

Agnitio sacrarū traditionum in particulari negatur ab hæreticis.

1 Non tantùm in communi, & in genere, verùm & in specie, & in particulari reijciunt traditiones non scriptas hæretici illi, qui supra dub. præcedenti cap. 1. dicentes, Spiritus Sancti scholam in Scriptura sacra omnino cōprehensā esse: quia nihil scitu necessarium in ea prætermissum est. Et licet delirium hoc satis, superque à nobis præcedenti dubio redargutum, atque euersum sit; adhuc

huc tamen hæretici ipsi contendunt nullas ex substantialibus traditionibus esse, quæ in sacris literis non contineantur, & proinde nullas fore signabiles in indiuiduo & in particulari traditiones sacras non scriptas.

Arg. 1. à parte negatiua. 2 Ad hoc enim argumentantur in primis ex eo, quòd prima quæ in ordine solet assignari traditio, est legitima sacrarum Scripturarum expositio, & interpretatio: quasi sicut scriptura est verbum Dei scriptum, sic eiusdem scripturæ sensus sit verbum Dei non scriptum. At præterquam quod si scripturæ sensus habendus & colendus esset pro verbo Dei, sequeretur, quod tã expositio literæ, quàm ipsa litera essent de fide, & proinde non magis licere de vno, quàm de alio dubitare, contra perpetuum Patrum receptissimumq; modum sentiendi & aliter, atque aliter interpretandi scripturas, laudabiliter quidem & egregiè. Ergo præter hoc quidquid vera expositio habet, seu habere posset de verbo Dei, totum id intra literam est: quia cum litera promitur, legitimus eius sensus innuitur, & non est litera, quæ proprium non referat sensum. Igitur traditio hæc non potest dici non scripta.

3 Deinde secunda, quæ refertur, traditio est baptismi forma, & chrisma
Arg. 2. tis illinitio: sed forma expresse habetur, ibi: *a Baptizantes eos in nomine Patris,* a Matth. vlt.
ad idem. *& Filij, & Spiritus Sancti*: Illinitio autem non est de substantia baptismi, vt patet in baptismo collato à laicis in casu extremæ necessitatis, quando moribundum infantem vel vir laicus baptizat, vel fœmina.

Arg. 3. ad idem. 4 Tertia Apostolorum traditio inducitur Confirmationis Sacramentum, & eius ritus: at vtrumque expressum habetur *b* frequenti illa manuum impositione ad conferendum initiatis Spiritum Sanctum. Ergo non est traditio non scripta. b Actor. 8.

Arg. 4. à parte negatiua. 5 Quarta, quæ in particulari traditio profertur, est confessio auricularis; sed præterquam quod hæc inumbrata videtur, *c* & per prædicationem Præcursoris commendata, & in exercitio posita: iuxta id: *d Baptizabantur à Baptista confitentes peccata sua*, Et præter hæc *e* scribitur, quod multi fidelium veniebant ad Apostolos confitentes actus suos. Ergo non est numeranda inter traditiones non scriptas. c Leuit. 5. 4. & 5. d Marc. 1. 5. e Actor. 19.

Confirmatur præcedens argumentũ. 6 Quod si dicamus, cõfessionẽ peccatorũ vt sic, inũbratam esse in sacris literis, non verò singulorum peccatorum cum omnibus suis circumstantijs aggrauantibus; & prout habetur in praxi. Hoc (dicent) neutiquam esse institutum diuinum, sed vel Ecclesiasticum, aut omnino humanum, vel politicũ: quia est onus grauissimum & acerbum, cũ tamen onus Christi leue sit. *f* f Matth. 11.

7 Quinta in ordine traditio censetur Sacramentũ Ordinis, cũ tamẽ po-
Arg. 5. testas Ordinis habeatur: *g Quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in* g Matth. 18. 18.
ad idem. *cælo, & quæcũq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Potestas enim iurisdictionis habetur: *h Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Igitur traditio hæc nõ venit inter non scriptas annumeranda. h Ioann. 20. 22.

Arg. 6. à parte negatiua. 8 Sexto loco annumeratur traditio de oblatione & Sacramento altaris, quæ tamen quantũ ad substantiã habetur: *i Hæc facite in meam commemorationẽ*. Et alibi: K *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem in me manet*. Ergo traditiones istæ extra literas sacras & canonicas non sunt. i Matth. 24. K Ioan. 6. 54. 56

Arg. 7. ad idem. 9 Septima cõputatur traditio de cõmunione sub altera tantũ specie pro vniuersis laicis, imò pro vniuersis qui presbyteratus apicẽ adepti nõ sũt. Hanc autẽ inumbratã dicunt: *l Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Vbi vnius speciei cõmunio adstruitur sufficiens ad vitam (quod saltim est intelligẽdũ de illis qui speciali præcepto ad cõmunionem sub vtraq; specie adstricti nõ sunt) Vnde fit consequens, non esse traditionem non scriptam. l Ioan. 6. 58.

Arg. 8. à parte negatiua. 10 Octaua proponitur traditio de Sacramẽto extremæ Vnctionis, quod tamen expressum haberi contendunt. *m* m Iacobi 5.

Arg. 9. ad idem. 11 Nona inducitur traditio de purgatorio, de qua tamen inquiunt, quod indicatur; eo quod ibi dicitur: *n Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*. n 1. Cor. 3. 13.

11 Decima traditio promitur de suffragijs defunctorum: quam scriptã esse adstruunt; vtpotè quia ibi refertur de Iudã, o quod *misit Hierosolymam duodecim millia drachmas argenti offerri ras ibi pro peccatis mortuorum iustè, & religiosè de resurrectione cogitans.* Arg.10. ad idem.

o 2. Machab. 12.43.

13 Vndecima traditio proponitur de cultu & veneratione sanctorũ, quam etiam præsignatam dicunt in facto illo Abrahami, p quando adoratione prosequutus inuenitur tres Angelos, ipsis tamen neq; repugnantibus, neque contradicentibus. Arg.11. ad idem.

p Gen.18.

14 Duodecima traditio censetur illa de reliquijs, sepulcris, Basilicisq; sanctorum, quas tamen inumbratas dicunt: quia ibi scripsit Apostolus: q *An nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui habitat in vobis.* Et dici ante refertur, r quod corpus Helisæi mortuũ prophetauit, & quòd in morte mirabilia operatus est. Alias similiter tanquã scriptas, & ab scripturæ thesauro omnino depromptas cauillantur hæreticorum aliqui ex suprà relatis traditionibus: à quibus seorsim recensendis consulto suspendeo: nam in disputationis progressu patebunt Deo dante: certè si non omnes (ne multus, aut nimius sim) saltem potiores, atque plures. Arg.12. ad idem.

q 1.Cor.6.15.

r Ecclesiast.48.

CAPVT SECVMDVM.

Ostenditur notitia diuersarum traditionum in particulari.

Ostenditur notitia diuersarũ traditionũ in particulari.



15 Affirmatiuam nihilominus partem præcedentis disputationis decisio nobis conspicuam reddit: etenim si traditiones vtiles ac præstantes sunt, imò necessariæ in Ecclesia, vt ibi ostensum est; consequens fit, peritiam, nedum certam notitiam illarum penes Ecclesiã esse: quoniam alias fierent thesaurus inuisus & scientia abscondita, in quibus nulla est vtilitas; vt Spiritus Sanctus docuit. a

Adducuntur Patres velut digito ostendentes illas, & 1. Ignatius

a Ecclesiast.4.v.17.

16 Item Ignatium b Episcopum sanctissimum, & martyrem, habemus celebriores totius Asiæ Ecclesias inter varios hæresum fluctus trepidantes crebra traditionum repetitione confirmantem: vt constat ex eius gestis.

b Epist. ad Philadelph. & Heron.

17 Item apud Irenæum c inuenimus nutantes & dubios Philippenses, atq; Marcionistarum, & Valentinianorum imposturis fascinatos plurimos, Romæ agentem tunc Polycarpum traditione Apostolorum primæ fidei solidasse.

c Lib.3.cap.3.

Irenæus à parte affirmatiua.

18 Rursus Eusebius d refert, quod Papyas fidei sacramenta didicit, non tàm scriptis, quàm Apostolorum, & discipulorum sermonibus, & quod viua, præsentique voce magis, quàm lectione fuit adiutus.

d Lib. 3.hist. c. 33.

19 Tertullianum e præterea experimur sui seculi passim ingruentiũ hæreseon nimbos traditionum Apostolicarum fulgore potenter dissipantẽ. Hoc autem aliter quàm aduersus particulares errores particulares traditiones obijciendo fieri non posse, vel cæcis perspicuum est. Viguit ergo apud illos notitia particularium traditionum.

Eusebius à parte affirmatiua.

e Lib. de Corona militis.

20 Demum cum peruetustus ille author Origenes dixit: f *Hæreticus nobis habendus est omnis ille: qui Christo se credere profitetur, & aliud de veritate Christianæ fidei credit quã habeat diffinitio traditionis Ecclesiæ.* Et alij Ecclesiæ Patres traditionum præsidia contra ingruentes hæreses eximiè commendarunt (vt dub. præcedenti vidimus) euidentissimè ostenderunt, quod Ecclesiæ traditionum non scriptarum perspicuam satisque certam notitiam præhabebãt: quoniã traditiones, vt sic nullius possunt esse opis ad casus particulares magis quã scripturæ, vt sic, nisi descẽsus fiat ad particulares traditiones, vt etiã fieri oportet ad particulares scripturas contra particulares errores.

Tertul. à parte affirmatiua.

f Sup.cap.13. epist. ad Titũ apud Pamph. in apologia pro Origene.

Orig. à parte affirmatiua.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Ostenduntur particulares traditiones non scriptæ de baptismo puerorum, & de hæreticis non rebaptizandis.

Traditio baptismi paruulorum nõ solum agnita Patribus, sed ab hæreticis aliquot recognita.

21  T autẽ susceptam prouinciam, velut penicillo admoto, strenuè administremus, placet particulares aliquot (vt iam polliciti sumus) traditiones digito promere: Et in primis celeberrimam in toto orbe illam de baptismo paruulorum; quam licet Anabaptistæ contemnant, & toto cœlo propulsent: vniuersalis tamen Ecclesia semper nouit, obseruauit, & venerata est; cui vel hæretici ipsi Caluiniani, & similes in hac parte subscribunt, licet contra suam ipsorum mentem turpiter obsirmatam in non admittendo, retinendo, aut introducendo aliquid ad Ecclesiam pertinente sine verbo expresso Dei literis reposito: quale tamen de re ista non extat, sed vel ab inuitis pectoribus veritas nonnumquam erumpit. Ecclesia igitur tàm sanctorum, quàm hæreticorum, huic trãditioni subsignat.

Baptismi traditio ex Dionis.

22 Quod autem sit diuina traditio, promit nobis in primis Dionysius Areopagyta dicens ad Timotheum, *a De re ista dicemus, quæ sancti præceptores nostri, ex pristina traditione edocti ad nos deriuarunt: aiunt enim (quod est verissimum) infantes si sacra religione formentur ad sacram prouehẽdos habitum. Et rursum: Diui nostri duces prouauerunt infantes recipiendos ad baptismum.*

Baptismi traditio ex Origene

23 Promit item Origenes inquiens: *b Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam paruulis dari baptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta diuinorum commissa sunt, quod essẽt in omnibus genuina sordes peccati, quæ per aquam, & spiritum aboleri deberet.*

Eadem traditio de pueris baptizãdis secundum alios Patres.

24 Promunt præterea Ciprian. c Athanas. d Basilius, e Chrisost. f Hier. g Ambr. h & (vt plures alios omittam) Augustinus dicens: *i Sancta Ecclesia, quæ priscæ traditionis authoritatem concelebrat, satis indicat paruulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli seruitute liberari.* Et ex professo ac lato calamo rem istam confecit duobus libris editis de paruulis baptizãdis cõtra Marcellinum. Et idem *K* varijs in locis variè rursum cõfirmat, cui sic Hieronymus *l* adhæsit vt adstringat peccato parentes, qui suos paruulos nõ baptizant ætate, qua non possint repugnare baptismo.

Ratio traditionis baptismatis paruulorum

25 Et certè si vnius delicto peccatores cõstituti sunt pueri, *m* cõsequens est, vt vnius etiam merito constitui valeant iusti. Maximè quod vbi abũdauit delictum, superabundauit & gratia, præsertim illa, quæ ad salutem prorsus necessaria est vtique baptismalis, dicente Domino: *n Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei.* Sed de his plura D. Thom. *o* Bellarm. *p* & alij.

Traditio de non rebaptizãdis hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus.

26 Item hæreticos, Arrianos, & similes ad Ecclesiam redeuntes rebaptizandos non esse: hoc est baptisma illis præstitum ab hæreticis Arrianis cum inuocatione Trinitatis, licet non ex fide illius: tale enim erat baptismus Arrianorum, irritum non esse ex Apostolica traditione colligi, & descendere multis ostendit August. *q* multis in locis, sed præcipuè contra Cresconium Grammaticum vbi dicit: *Proinde quamuis huius rei certum de scripturis canonicis non profertur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas: cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas.* Hic enim Augustinus expressam instituit doctrinam, quam nos induximus ad calcem cap. 22. dub. 1. vtique traditiones non scriptas non prorsus esse extra literas sacras, siquidem ab scripturis habent authoritatem in communi, licèt non tenorem, nec speciem in particulari.

a *Cap. 7. Ecclesiast. hierarch.*
b *Ad Ga. 6. epist. ad Rom.*
c *Lib. 3. epist. 8. Ad Titum.*
d *Lib. 2. resp. 2.*
e *In expos. 1. psa.*
f *Hom. de Adam & Eua.*
g *Epist. ad Letã*
h *Sup. Lucæ 5.*
i *Li. 1. de gratia Christi & pecc. origin. cap. 40.*
K *Idẽ de baptis. paruul. contra Marcel. & lib de peccatorum merit. cap 20. & li. 4. contra Donat. cap. 24 & lib. 3. de libero arbitrio cap. 24.*
l *Vbi sup.*
m *Rom. 5.*
n *Ioan. 3. 5.*
o *3. p. q. 68. a. 9.*
p *Tom. 2. li. 1. de sacram. Eccles. c. 8.*
q *Lib. cõtra Cresconium cap. 33.*

Et

27 Et licèt morem hunc non rebaptizandi prædictos hæreticos aliquando ex Euangelio ipsemet Augustinus r corroborare contendat, vtique libris cōtra Donatistas; tamen alibi ipse palàm dicit: s *Hoc aperte & euidenter neque ego, neque tu inuenimus*. Et mox, *Cum hoc nusquam legatur, credendum est testimonio Ecclesiæ, quam veracem esse Christus testatus est*. Imò quoniam Cyprianus pro dicta causa tuendi oppositam sententiam ausus fuit negare traditionem illam ab Apostolis deriuatam esse, grauiter insurrexit in eum ipsemet Augustinus: t & quia in hac parte vniuersi Doctores non Cyprianum, sed Augustinum sequuntur, ideò pluribus ad id opus non est.

r Li. 2. contra Donatistas cap. 14.
s Idem lib. de vnitat. Eccles. ca. 19
t Idem lib. 5. contra Donat. c. 23.

Inuehitur Aug. in Cyprianum pro dicta traditione non rebaptizandi.

CAPVT QVARTVM.

Ostenduntur speciales aliæ traditiones non scriptæ, de obseruatione quadragesimæ, & de imaginum cultu.



28 QVadragesimalem obseruationem prȩterea Apostolicum institutum esse, planè nos docuit Aug. inquiens ad Marcellum contra errores Montani. a *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus*. Docent hoc Amb. b Leo Magnus c Epiphanius, d Irenæus, e & alij.

29 Et planè conuincitur ex eo, quod ab Apostolorum temporibus sub præcepto fuit: iuxta illud Clementis Romani: f *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, &c. Quadragesimam non ieiunat, deponatur, nisi imbecillitas corporis obstet: si verò laicus sit excommunicetur*. Et in constitutionibus Apostolicis commendat quadragesimale ieiunium ipse Clemens g ex eo, quod vita Christi, ac legis latæ recordationem continet. Et idem fecit postea Ignatius Antiochenus Patriarcha sanctissimus, dicens: h *Quadragesimam ne aspernatis: imitationem enim continet conuersationis Domini*. Vnde vniuersaliter postea, vtiq; anno Christi 135 sub Sixto I. (prout placet Gordono i) & anno Christi 154. sub Telesphoro Pontificibus quadragesimale ieiunium tamquam Apostolicum stabilimentum promulgatum est; vt de Telesphoro patet ex epistola ad vniuersos, quæ extat tomo primo Conciliorum, & refertur à Gratiano nostro. k

a Epist. 54.
b Serm. 8. de quadrages.
c Ser. 12. de quadrag.
d Heresi 75.
e Apud Eiseb. li. 5. hist. cap. 24.
f Canone 60. Apost.
g Idem lib. 5. cōstit. Apostolicarum, cap. 12.
h Epist. ad Phili.
i In chronologia ad annum Christi 133.
k Distin. 4. canone statuimus.

Traditio sacra de ieiunio quadrag.

Patres pro traditione ieiunij adducuntur.

30 Venerationem item & cultum sacrarum imaginum ex Apostolorum doctrina promanasse, testis est nobis in primis ipse Apostolorum chorus, dum in Concilio, Antiochiæ celebrato, inter alios canones (de quibus sanctus Pāphilus Martyr. l) ita constituit. *Ne errent fideles erga idola, sed exprimant diuinam, humanam, immaculatam, manufactam imaginem veri Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, ac seruorum eius ex aduerso coram idolis, & Iudæis: ne amplius errent erga idola, aut Iudæis similes fiant*. Hoc est, ne fideles ducti propensione colendi manufacta falsos Deos colant, manufaciant imaginem veri Dei, veri Christi, & sanctorum eius, quibus debitum cultum impendant propter reuerentiam prototyporum: & in hoc etiam à Iudæis secernantur, quibus communiter sculptilia prohibita erant, ne in idolatriæ laberentur errorem.

Sed quia de his plura à me alibi m dicta sunt, ideò rem absoluo cum Nicæna Synodo 2. n definiente ex traditione Apostolica cultum imaginum

l Ex bibliotheca Origenis apud Turrianum.
m Laurea Salmā. certamine de imaginibus f. crit.
n Actio. 2. & 7.

Traditio cultus sacrarum imaginū.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Statuuntur aliæ traditiones non scriptæ de solemni ritu cruce nos signandi, & omnia sacra crucis signaculo peragendi.

Traditio de signo crucis quo nos signamus vsque ad numerū 38.

31 NTER Potissimas Apostolorum traditiones non scriptas annumerat Tertullianus a ritum & morem cruce nos signandi pro fœlicibus auspicijs in omnibus. Etenim dum refert traditiones non scriptas sic coronidis vice cōcludit. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem additum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mentes, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Basilius item magnus potissimam eiusmodi traditionum ponit ritum signandi nos cruce; referens enim traditiones ita ait: b *Quod genus est (vt eius quod primum est ac euulgatū, primo loco commemorem) vt signo crucis, eos qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?*

a Lib. de Corona militis cap. 3.

b Lib. de Spiritu sancto cap. 27.

Crux signū Christi.

Frequenter nos crucis figura signamur vt memoriam passionis excitemur.

32 Ratio item ipsa id planè demonstrat; nam in primis vt Aug. inquit: c *Quid est quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur:* Item vt August. ad Eustochium. d *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem:* Ac demum vt Chrysost. e *Velut coronam crucem Christi circunferamus. Omnia enim quæ ad nostrā salutem conducunt per ipsam consummantur: nam cum regeneremur crux Domini adest, dū in sacratissimo alimur cibo, cum in Ordine consecrandi statuimur, vbique, & semper adiutoris insigne nobis assistit. Quapropter & in penetrabilibus & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente magno studio crucem inseramus,* Constat autem, hæc diuinam institutionem referre.

c Tract. 118. in Ioan.

d Epist. 22. de Custodia virginitatis

e Ho. 55. in Mat.

Crucis signaculo monemur habere illā pro anchora fidei.

33 Sed adhuc constabit vberius, si cum pio illo ac docto Petro Canisio f de sententia priscorum Patrum consideremus, quod sic adeò frequenter signaculo crucis nos munimus, quia in primis excitamur per illum ad gratam memoriam mysterij summi, atque beneficij, quod nobis in cruce peractum, amplissimè donatum fecit.

f Lib. de fide & symbolo art. 1.

34 Deinde prouocamur ad veram, sanctamque gloriam, & totius salutis nostræ anchoram in cruce Domini defigendam.

Crucis signaculo Christiani à nō Christianis secernuntur.

35 Est hæc præterea testimonium, nos cum inimicis crucis Christi, Iudæis, ac AEthnicis nihil habere commune: sed contra hos omnes liberè profiteri quem colimus Christum, & hunc crucifixum.

Crucis impressione ad patientiā cohortamur.

36 Hoc etiam signaculo ad patientiæ studium incitamur, vt si æternæ gloriæ cupidi sumus (vt omnes esse debemus) crucem, quam colimus, & viam crucis, duce Christo non grauatim amplectamur. Neque minus arma in præsent. Victricia petimus aduersus Sathanam, olim crucis virtute prostratum, imò contra omnes nostræ salutis aduersarios ita communimur.

.. Demum, vt auspicatius ordiamur, & maiorem in rebus gerendis successum experiamur, hoc crucis illustre trophæum arripimus, & in hoc signo Victori sæpe dicere non dubitamus: In nomine Patris, & Filij & Spiritu sancti. Hactenus quæ supra Canisius ex antiquioribus Ecclesiæ proceribus, qui apud illum videri possunt:

Vis crucis ex Dionis. Areopag.

37 Hinc illud Dionysij Areopag. de sacris ordinibus: g *Cruciforme signaculum omnium simul carnalium desideriorum inefficacitatem, & Dei imitatricem vitam designat:* Et de Monachorum institutione. h *Vbi verò omnia hæc is, qui instituitur promiserit, cruciformi figura cōsignans eum Sacerdos tondet, dotrinam diuinæ beatitudinis personam inclamans.*

g De Ecclesi. hierarch. p. 2. cap. 5.

h Idē c. vb. sup.

38 Hinc

38 Hinc etiam illa Apostolorum Christi discipuli atq; Martyris Martialis in epistola ad Burdegalen. verba: *i Crucem Domini, in quem credidistis Deum verum & Dei Filium, semper in mente, in ore, & signo tenete. Crux enim Dñi armatura vestra inuicta contra Sathanam, galea custodiens, caput, lorica tegens pectus; clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi nullo modo propinquare sinens, hoc signo solo cœlesti victoria data est nobis, & per crucem baptisma Dei sanctificatum est.* Origenis illa item notatu dignissima. K *Quid timent dæmones, quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor super eos cum signum in nobis viderint crucis fideliter infixum.*

i Epist. ad Burdegalen. cap. 8.

K Hom. 6. in Exodum.

Crux armatura nostra ex S. Martiali.

39 Cum igitur ex præcedenti dubio cap. 23. regula 3. constet, illam esse traditionem diuinam, quam solus Deus instituere potuit, & simul liqueat ex solo Dei munere, & ope progredi potuisse, vt Christiani crucis signaculum summis, vel digitis tantùm expressum ad omnia tam proficuum, tamque prorsus mirabile sit: consequens est huiusmodi ritum, & morem cruce nos toties signandi diuinum planè esse.

Quænã sit traditio diuina?

CAPVT SEXTVM.

Referuntur aliæ traditiones de cultu, & obseruatione Dominicæ diei.

Dominici diei cultum annumerat Tertullianus vnam ex Apostolicis non scriptis traditionibus, inquiens, *Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare eadem immunitate à die Pentecostem vsque gaudemus.* Quod Tertulliani elogium cõsonat apprimè cum illa constitutione Apostolica. *Si quis clericus inuentus fuerit die Dominico ieiunare, deponatur; si autem laicus segregetur.*

Cultus Dominicarũ dierum traditio Apostolica ex Tertulliano.

41 Annuit etiam D. Augustinus dicens, *a Dominicum ergo diem Apostoli, & Apostolici viri ideò religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster à mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus: dantes scilicet huic diei honorem propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa: nam sicut ipse Dominus surrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in nouissimo die speramus. Subiũxitque continuò ad idem,* inquiens: *b Ipse est enim primus dies sæculi in ipso sunt omnia formata elementa mundi: in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso descendit Spiritus sanctus super Apostolos: manna in eodem primo datum est in eremo: his enim speciebus, ac talibus iudicijs Dominica dies extat insignis: ac ideo sancti Doctores Ecclesiæ decreuerunt omnẽ gloriam iudaici sabbatismi in illam transferre; vt quod ipsi in figura nos celebremus in veritate.*

a Serm. 251. de tempore.

b Idem ibidem.

Traditio dominicæ diei ex Aug.

42 Ratio autem ipsa id probat: quoniam Dominici diei cultus non solùm ab Ecclesiæ primordijs, verùm primus Christianorum festus institutus est. Vnde antiquiores Ecclesiæ Patres huiusmodi cultus honorificentissimè meminerunt. Etenim Clemens Romanus de illo agens inquit. *Die resurrectioni Domini dicato (dominicum dicimus) conuenite assiduè gratias agentes Deo, & confitentes de beneficijs, quæ in nos contulit Deus per Christum liberans nos ab ignorantia, errore, & vinculis, vt careat reprehensione sacrificium nostrum, & facilè omnis oratio nostra ascendat ad Deum.* Ignatius item Martyr sic honorificè diem hunc commendat, vt appellet illum *dierum Regem, ac Principem.* Et Tertullianus appellat illum, *Solis ac lætitiæ diem.* Dionysius Corinthius præterea apud Eusebium & Cyprianum in epistolis cum alijs eximijs, honoribus commendant illum.

Cultus diei Dominicæ ab Ecclesiæ primordijs.

43 *Et licet in aliquibus scripturæ locis c expressa de isto die inueniatur mẽ-*

c Apoc. 1. v. 10 Actor. 20. v. 7.

De cultio,


tu diei Domini ci nil Scriptura prodit

tio, quem diem Paulus (ex aliquorum mente) vocat *Vnam Sabbathi*, more Iudæorum: quomodo etiam ab Euangelistis nunc, *vna*, nunc *prima Sabbathi* vocatur, id est, prima Sabbathum. De quibus ego plura alibi, nihil tamen de obseruatione, solemnitate, aut cultu eius institutum habetur, & ideo talis ritus inter traditiones non scriptas, & ab Apostolis profectas omnino numerandus est.

CAPVT SEPTIMVM.

Ostenduntur aliæ traditiones non scriptæ de ieiunio quatuor temporum atque de delectu ciborum.

Antiquitas ieiuniorum quatuor temporũ ex summis Pontificibus.

44 CCLESIASTICVM Ieiunium quatuor temporũ (quod hæretici recentiores pro externa tantùm cæremonia reputant) ab Apostolica traditione sumpsisse principium, conuincit planè longæua antiquitas illius: legimus enim Beatum Linum Romanum Pontificem Petri successorem celebrasse Ordines in ieiunio mensis Decẽbris, quod est vnum ex his quatuor ieiunijs.

Itẽ Calixtus I. ferè ante mille quadringẽtos annos, hoc est, ad annũ Christi 220 scripto constituit ieiunium vernale, æstiuale, autumnale, & hiemale apud Gratianum nostrum. a Quod antea Apostolica traditione constitutum fuisse ostendunt Bellarminius b atque Baronius. c Sed audiamus verba Calixti: in illis enim apertè confitetur consuetudinem à priscis ductam temporibus, id est, ab Apostolorum seculo, ait enim Calixtus. d *Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrare didicistis* (ecce consuetudinem citatam, moremque antiquum) *conuenienter nunc per quatuor tempora fieri decernimus, vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus ieiunium per quatuor anni tempora, vt sicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad alendas animas.*

a D. 76. ca. ieiunium.
b To. 3. lib. 1. de ieiunio cap. 19.
c Ad annũ Christi 57. n. 206.
d Epist. 1.

Sed institutionem hanc Apostolicam illustriùs & expressius patefecit Leo Magnus inquiens. e *Ieiunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruantia celebremus: quia & hoc inter maxima Spiritus sancti dona annumerandum est, quod nobis aduersus illecebras carnis, & insidias Diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adiuuante vincamus. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus; Sabbatho autem apud Beatum Petrum Apostolum vigillas celebremus.* Eiusdem etiam Apostolicæ traditionis meminit alijs in locis, f & ante illum Athanasius Magnus. g

e Serm. 2. de Pentecoste.
f Serm. 9. de ieiunio septimi mẽsis, & serm. 8. de ieiunio decimi mẽsis.
g In Apologia de fuga sua propè Mitium.

Nõnulla ex veteri lege, quę ad optimos mores instituendos condecebant; Apostoli laudabiliter mutuati sũt.

45 Nec obstat, quod aduersarij obiciunt, videlicet ieiunium hoc non nihil cum legalibus ieiunijs (videlicet cum ieiunijs veteris legis) habere commune. Non inquam obstat, nam vt Leo h vbi supra monet, ea quæ ad optimos instituendos mores pertinere visa sunt, nonnulla laudabiliter Apostoli mutuati sunt, verba Leonis ita habent. *Apostolica institutio dilectissimi, quæ ad hoc Dominum Iesum venisse nouerat, vt legem non solueret, ita veteris testamenti Sacramenta distinxit, vt quædam ex eis sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ. Et infra, quod ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum, corporumque nostrorum ieiunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euangelio seruit amplectimur.*

h Sermone 7. in ieiunio septimi mensis.

Ieiuniũ nostrum non coincidit cũ legali prohibitione ciborum et si cibos discernat.

46 Item ad idem ipse alibi. i *Non ideò negligendum est, quia de obseruantia veteris legis assumptum est ieiunium decimi mensis, tanquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & ouium, pecudumque hostias destiterũt: illa enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, expletis quæ significauere, finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem noui testamenti gratia non remouit, & continentiam corpori, atque animæ semper profuturam pia obseruatione suscepit.*

i Idem Sermone 4. de ieiunio decimi mensis.

Neque

47 Neque rursum obstat, quod rursum obijciunt hæretici, videlicet, Calixtum primū ieiunia quatuor temporū instituisse, & proinde institutionem hanc non esse Apostolicam. Nam contra est, quod Calixtus vnum tantum ieiunium addidit ad tria, quæ seruata inuenerat; vt patet ex verbis illius iam productis. Quare traditioni Apostolicæ adscribendum est huius ieiunij quatuor temporum initium, vt iam ex Leone vidimus. Institutio ieiunijquatuor tēporū nō à Calixto sed ab Apostolica traditione habuit initium cōtra hæreticos.

48 Item, quod ciborum delectus, & discretio ab Apostolica traditione descenderit, patet ex ipsorum Apostolorum Cōcilio prohibente *k* vsum quorundam ciborum vniuersis Christianis, vtique suffocati, & sanguinis, ea ducti omnino ratione, vt facilius Ecclesia ex gentilibus, atq; Iudæis coalesceret, iuxta quæ ab Augustino *l* palàm accepimus. Vnde sicut Apostoli propter hūc bonum finem certos prohibuerunt cibos, ita Apostolorum successores huic coadhærentes exemplo, & hunc religionis zelum pie æmulati, ad bonum respicientes finem, vtique ad cohibendam petulantiam carnis, aliosque fructus salutiferos inuehendos delectum constituerunt ciborum. Et sicut illorum prohibitio sub graui præcepto erat, vt patet tùm ex illo Actorū 15. *m Perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam præcipiens custodiri præcepta Apostolorum & seniorum.* Tum ex eo, quod præceptum illud per aliquod tempus ita seuerè custoditum est, vt (quod Tertullianus, *n* refert) Christiani potius mori, quàm prohibitos ab Apostolis cibos degustare elegerint. Concilium Apostolorum prohibens suffocatum & sanguinem.

49 Fauet etiam quod de Petro Apostolo Gregorius Nazian. *o* refert oratione de pauperum amore, videlicet solitum fuisse solis propè modum leguminibus victitare. Et id quod de Matthæo Euangelista Clemens Alex. *p* enarrauit nimirum herbis, ac seminibus contentum fuisse, & à carnibus abstinuisse prorsus. Item, quæ de sancto Iacobo narrat Eusebius *q* dicens, quod non tantùm à carnibus, sed etiam à vino abstinuit. Ac demum, quæ tàm de Marco Euangelista, quàm de eius Alexandrinis discipulis, & monachis commemorat Epiphanius, *r* atque Hieronymus, *s* vtique quod non tantum à carnibus & vino se continebant, sed quod semper reficiebant ad vesperam. Victus Petri Apostoli & aliorū legumina vel olera

50 Neq; obstat id Matth. 15. quod magnificè obijciunt hæretici videlicet. *t Non quod intrat per os coinquinat hominem.* Nam id si intelligatur de cibis (fortè non intelligitur, nisi de sordibus manuum illotarum, quia de illis tantùm procedebat sermo) non est accipiendum absolutè: alias nec cibus vetitus quem gustauit Adam, neque sumptio suffocati, & sanguinis grauiter ab Apostolis interdicta, neque consecratæ hostiæ indigna sumptio, neque etiam vini intemperata potio coinquinarent, quod est falsum: sed est accipiendum secundum quid, & cum limitatione, vtique naturaliter, & iuxta rerū naturas, quatenus cibaria vt sic, animam non inficiunt se ipsis: omnis enim creatura Dei bona est, vt ait Paulus. *v* Explicatur verba Matt. 15. non quod intrat per os coinquinat hominē perperā intellecta ab hæreticis.

Præterquam quod sententia Christi talis est, *x Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore coinquinat hominem.* Ex hoc enim tantum sequitur, quod sicut non omnia quæ procedunt ex ore coinquinant hominem (vt patet in saliua, alijsque naturæ excrementis, & in cibo per vomitum reuerso ab stomacho, & in verbis prudenter prolatis, atque in oratione vocaliter facta, & in Dei laudibus egregiè emissis) sed aliqua tantùm, vtique nefaria verba, & alia similia, quæ tunc Christus carpere contendebat: ita non omnia quæ intrant per os coinquinant hominem: vt patet in potione sobria, & prudenti sumptione ciborum, benè tamen aliqua, vtique sumptio ciborum cauta per legem.

k Actor. 10. 4.
l Lib. 22. contra Faust. cap. 13.
m Actor. 15. numer. vlt.
n In apolog. c. 9.
o Oratio. 16.
p Lib. 2. pedagogie cap. 1.
q Lib. 2. hist. Eccles. cap. 12.
r Heres. 24.
s De viris illust.
t Matth. 15. 11.
v 1. ad Thim. 4. 4
x Matth. 15. 11.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Ostenditur peculiaris traditio de institutione status Monachalis,

Traditio sacra de institutionem monachorũ

51 Onachorum institutionem ex Apostolicis fontibus traxisse originem testis locupletissimus nobis est Isidorus dum ait: *a Primũ monachorum genus est cœnobitarũ,* (verba sunt trãscripta ex regula institutoris sui, ac nostri Benedicti.) *Id est, in communi viventium more sanctorum illorum, qui temporibus Apostolorum in Hierosolymis vendita ac distributa indigentibus omni substantia sua habitabant in sancta communione vitæ, non ducentes aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, & anima, & cor vnum in Deum. Horum igitur institutione monasteria sumpsere principia.* a Lib. 2. de officijs cap. 5.

Societas spiritus (de qua Apostolus) in monastica obseruantia, seruatur

52 Locupletior autem Bernardus est, dum inquit: *b Veniamus ad eam, quam dicit Apostolus societatem spiritus, & laudem disciplinæ ad bonum illud fraternæ cohabitationis in vnum. Laus huius disciplinæ ab Apostolis sumpsit exordium, qui sicut à Domino didicerant, vel à Spiritu sancto, modum conueniendi sic sibi instituerunt, vt esset multitudinis cor vnum & anima vna, & essent vnanimiter semper in templo.* Et subdit, *Hanc Apostolicæ institutionis formam quidam æmulantes non habent domos, vel diuerticula, nisi domum Dei, domum orationis, omnia quæcunque faciunt in nomine Domini faciunt simul habitantes in vno ordine, vna lege viuentes, nec habentes proprium, neque ipsa corpora sua; nec voluntates in potestate sua habentes, simul dormiunt, simul surgũt, simul orant, simul psallunt, simul legunt, simul est & immobile propositum illorum obedire præpositis suis, & subijcere illis.* b Lib. de amore,

Pulcrũ testimoniũ Dionysij circa monasticã disciplinam

53 Quod si inuestigare velimus capita vnde Patres isti doctrinam istam deduxerint, præsto nobis est Dionysius Areopagita, c qui postquam de Pontifice, Sacerdote, diacono, & cæteris ordinibus statuit, tãdem de monacho inquit: *Porro initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo monachorum est, sancta castitate mundata, omnis item sacræ operationis spiritualiter speculatrix, & particeps facta.* Et mox. *Vnde sancti Præceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosequuti, partim therapeutas, id est, cultores, à syncero Dei famulatu, atque cultu; partim monachos, ab indiuidua & singulari vita appellantes.* Ecce institutionem monasticam ab Apostolis agnitam. Quare ergo non institutam? c De Ecclesiast. hierarch. p. 1. c. 6.

Monachi congregati sub Marco Euangelista adhuc Petro viuẽte.

54 His fidelissimè subscribit Philo d author peruetustus & pius, qui (teste Eusebio e Cæsarien.) Romam tempore Claudij adit, & Petrum Apostolorum Principem vidit: is igitur monachorum sub Marco Euangelista cõgregatorum vitam, mores, & institutionem referens, inter alia dixit: *& illud hominum genus therapenticum semper in contemplatione diuinitatis proficiet etiam sole hoc sensibili præterito, neque vnquam suum ordinem deserit tendẽtem ad fœlicitatem perfectissimam, huic vitæ instituto que se addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt sed amore correpti rerum cœlestium, & quasi furore diuino perciti, donec ad contemplationem illam desideratissimam perueniant.* d De vita contẽplatiua. e Lib. 2. hist. ca. 16.

Et rursum ipse: *f Relictis igitur facultatibus, & auocamentis omnibus fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas cognationes, & societates, amicitias, ipsas denique patrias: demigrant autem non in aliam ciuitatem sicut serui, qui se vendi heris alijs impetrant miseri: vt qui seruitutem mutant non effugiunt; sed extra mœnia degunt in hortis, aut villis solitarijs solitudinem amantes, non hominum odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, merito vt absolutæ probitatis receptum, tum à Græcis, atque Barbaris maximè; tamen in Ægipto frequentatur, præsertim circum Alexandriam.* f Idem ibidem.

Cum

55 Cum igitur ex præcedentis dubij cap.23. regula 4. constet illam haben dam Apostolicam traditionem non scriptam, quæ perpetuò agnita, obserua ta, & in pretio habita in vniuersali Ecclesia est, constabit continuô Monachorum institutionem Apostolicam traditionem esse; siquidem constat à tempore Apostolorum perpetuò agnitam, obseruatam, & cultam in vniuer sali Ecclesia, & dignam, vt ab Apostolis sanciretur, licèt aliàs ab alijs possit sanciri. Quare Concilium Meldense, & Coloniense tertium statuerunt Monachorum ordinem â Deo inspiratum esse, & ab ipsis Apostolis fundatum, & à nominatissimis ac sanctissimis Patribus excultum, vtique â Basilio, Augustino, atque Benedicto Patre nostro, qui propterea regulas Monachorum quas ipsi primitus condiderunt, Apostolicis præceptis ornarunt. Concluditur Apostolica traditio de statu monachorum.


56 Alij altius repetunt Monachorum originem ab Helia, & Helifeo. Nec sanè mirum, siquidem & ipsi lectitarunt verba illi psalmi; g *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.* Hæc enim monasteria erexerunt, vt planè Aug. monuit, ita inquiens. h *Ista verba psalmi, iste dulcis sonus, ista suauis melodia tàm in Cantico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit, ad hunc sensum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum cupierunt, iste versus fuit turba ipsorum quæ sonuit per totum orbem terrarum, & qui diuisi erant congregati sunt.* Sed quid-quid sit de monachatu antiquiori, nobis pro encomio est ab Apostolis originem trahere, & sortiri institutores vitæ monasticæ eosdem quos Christianæ doctrinæ. Aliqui astruunt originē monachorum ab Helia & Heliseo nec temere.

g *Psalm.* 132.

h *To.* 8. *sup. psa.* 132.

CAPVT NONVM.

Ostenduntur aliæ particulares traditiones de baptismo Apostolorum, & de Ecclesiasticorum cœlibatu, ac de ritu adorandi ad Orientem, & de sacramentalibus, ac tandem de Sacramentis quoad eorum formas.

57 Liam traditionem nō scriptam Aug. a testatur, scilicet Apostolos baptizatos fuisse, etiamsi nec verbum quidem de hoc scriptura deprompserit. Ostendũtur aliæ peculiares traditiones, & prima de Apostolorũ baptismo.

58 Clemens item Romanus b Sacerdotum & Ecclesiasticorum cœlibatum tamquam de mente Apostoli Petri promulgauit, dicens: *Ad Dominica mysteria tales eligentur, qui ante ordinationem coniuges suas non nouerint, quod si post ordinationem contigerit ministro proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat, neque aquam Sacerdotibus porrigat ad manus; hostia forinsecus claudat, & minora agat, nec vrceum, siue calicem ad altare gerat.*

Item ipse c alibi constituit non licere clericis post ordinationem ad nuptias venire: imò refert Apostolorum canonem, d quo sancitur clericos vxores non ducere, & ex Ecclesiasticis omnibus, illos dumtaxat posse vxoribus copulari, qui cantores sunt aut lectores. Sacerdotũ & Ecclesiasticorũ cœlibatus traditio sacra.

59 Tandem Damascenus e pro traditione non scripta refert ad Orientem adorandum esse: quoniam Christus Dominus dicitur *Oriens.* Et paradisus voluptatis ad Orientem situs erat, à quo primus noster plastes repulsus fuit, & nos simul cum illo ob originale crimen: & ita dum respicientes ad Orietem adoramus, aciem oculorum figimus in paradisum â quo eiecti sumus, atque propulsati: dolemus enim sic vicem exilij nostri, & ostendimus desiderium, & votum instaurandi, & recuperandi quod amisimus. Traditio orādi versus Orientes.

a *Epist.* 188.

b *Epist.* 2.

c *Idem li.* 6. *cōstitut. Apostolicarum cap.* 17.

d *Canon* 18. *Apostolorum in Turriane, alias* 25. *alias* 18.

e *Lib.* 4. *fidei ca.* 13. & 17.

His

Apostolica traditio de Sacramentalibus. 60 His adiungenda sunt sacramentalia omnia, vtique humilis tunsio pectoris, confessio generalis, crucis formæ signatio, aspersio aquæ benedictæ, & reliqua instituta contra venialia peccata, contra præstigias dæmonum, & ad tempestates aëreas, infirmitatesque nostras pellendas, atque fugandas. Cùm enim à solo Deo hanc possint obtinere virtutem, consequens fit, ex diuina institutione processisse.

Per Sacramentalia remittuntur venialia peccata ex opere operato. 61 Hoc autem maximè verum habet in sententia Soti, f Cani, g Vualdens. h Azor. i & aliorum asserentium, per Sacramentalia remitti venialia peccata ex opere operato, & non tantùm ex opere operantis, id est, nō tantum quatenus excitant, & mouent animum ad actum pœnitentiæ (vt ait D. Thom. K & alij) sed quia se ipsis sunt propter institutionem diuinam peculiares sanctificationes.

Id autem probasse videtur Alexander l primus, relatus à Gratiano nostro, dum asseruit, aquam sale conspersam in populis bēedici, *Vt ea* (inquit) *cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur.* Et subijcit probationem à minori ad maius dicens: *Si enim cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, multo magis aqua sale conspersa populum sanctificat, & mundat.*

Et sanè si Propheta Heliseus sale in aquam misso sterilitatem aquarum sustulit, multo magis aqua sale commixta diuinis precibus adhibitis videtur satis ad curandam sterilitatem animarum.

Hinc est, quod ad exemplum Moysis aqua sale conspersa singulis diebus Dominicis renouatur, vt aspersione illius omnes mundentur à suis peccatis; cuius rei argumentum in Epistola Pauli ad Hebræos inuenitur. Ibi enim ait Apostolus, m *Abluti corpus aqua munda, aspersi corda à conscientia mala.* Idque constitutione Apostolica apud Clementem, n *Dròson*, hodie Græci appellant (prout notauit Genebrardus o noster) Sacramentalia. Ergo ex diuina traditione non scriptà descenderunt in Ecclesiam.

Expenditur mēs diui Thomæ circa institutionem Sacramētalium. 62 Quod si obijcias D. Thom. p dicentem, sacramentalia, quia non pertinent ad necessitatem interiorem gratiæ, Dominus fidelibus instituenda reliquit pro suo arbitrio. Et proinde non esse institutiones diuinas, aut Apostolicas.

Resp. Diuum Thomam intelligendum esse quantum ad determinationem materiæ, non verò quantum ad institutionem creandi, deputandique aliqua sacra, quæ nobis proficua sint ex virtute diuina. Videatur Vualdensis toto opere de Sacramentalibus contra Vvicleff.

His subijciamus Basilij Magni verba: ait enim. q *Qui in primordijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque mysterijs suam seruauerunt dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares, aut vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur aliqua citra scriptum tradita sunt. Nam & traditione sola acceptas ab ijsdem Apostolis plerasque Sacramentorum formas nulli dubium est.*

f In 4. d. 5. q. 1. a. 3.
g *Relect. de Sacram. p. 1. ad 6. & 7. & li. 12. de locis c. 13. ad 9.*
h *Vual. to. 3. tit. 4. cap. 68.*
i *Tom. 1. lib. 4. c. 109.*
K 3. p. q. 87. a. 3
l *Apud Gratianum de cōsecratio. dist. 111. c. aquam.*
m *Heb. 10. v. 22*
n *Lib. 8. const. Apostolicarum.*
o Li. 3. *Chronologiæ ad annū Christi 129. in Alexan. I.*
p 1. 2. q. 108. a. 2 ad 2.
q *Lib. de Spiritu sancto cap. 27.*

CAPVT DECIMVM.

Resp. Vniuerse omnibus argumẽtis primi capitis, & simul desi gnātur plures admodū substantiales traditiones nō scriptæ de consubstantialitate Verbi eterni cum Patre æterno, de perpetua virginitate Mariæ, de certitudine authoritatis sacrorum librorum, de celebratione mysteriorum Christi, & de expressa notitia & confessione Trinitatis.

Respondetur ad argumẽta hæreticorum



63 PLures aliæ traditiones non scriptæ in particulari patebunt solutionibus argumentorum. Ad quæ generatim primo, & in communi, mox seorsim, & in particulari satisfaciendum est.

Cōsubstantialitas Verbi diuini cū Patre sola traditione sacra habetur.

Ad omnia igitur simul resp. nō præiudicare rationi traditionis non scriptæ, quod penes sacras literas inumbrata sit, ac velut in communi signata, si modò expressa, aut satis declarata non est.

Item perpetua virginitas Deiparæ de qua supra.

a *Epist. 174.*

64 Exempla luculentissima nobis August. *a* suppeditat, quem vnicè mirantur, suscipiuntquè aduersarij hæretici, & ideò detrectare non poterunt vim, & robur testificationis suæ. In primis enim pro dogmate fidei nō scripto refert Patrem ingenitum, Filiumquè eidem consubstantialē: quia in diuinis scripturis id non inuenitur expressum, licèt inueniatur sæpè sæpius subindicatum. Vnde Nicæna synodus consubstantialitatem filij cū Patre æterno ex traditione non scripta declarauit, vt constat ex tomo 1. Cōciliorum & apud Socratem, Sozomenum, *Euagrium*, & Nicephorum in suis historijs pro Concilio Nicæno primo.

Traditio sacra Euāgeliū secundum Mathæū fuisse scriptum ab ipso.

b *Idē lib. de dog. Ecclef. cap. 69.*
c *Esai 7.14.*
d *Luc. 1.26.*
e *Ezech. 54.*
f *Contra Eluidiū*

65 Deinde Mariæ sacratissimæ perpetuam virginitatem pro fidei dogmate non scripto refert ipse August. *b* quoniam in sacra pagina disserte nō profertur, licèt implicitè contineatur in illo Esaiæ: *c* *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Quod verbum intelligendum est in sensu cōposito. Et in illo Lucæ, *d* *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem.* Et in illo Ezechielis *e* de porta semper clausa, quæ respiciebat ad Orientem. Ex quibus Hieronymus *f* perpetuam Deiparæ virginitatem doctè pariter, ac piè tutatus est; sed tamen nusquam apud literas sacras satis expressa inuenitur.

Aniuersaria celebritas mysteriorū Christi sacra traditione seruatur.

g *Lib. 28. contra Faustum Manich. cap. 2.*

66 Tertiò Euangelium secundum Matthæum verè ab illo conscriptum esse, tanquam fidei dogma non scriptum, sed ab Apostolicis sedibus vsque ad illa tempora deriuatum statuit ipsemet Augustinus, *g* licèt verè inscriptio canonica eiusdem Euangelij sit, *Secundum Matthæum.* Et idem est de omnibus alijs canonicis scripturis.

Nomenclatura Deiparæ in Virgine definita fuit ex traditione sacra.

h *Epist. ad Ianuarium.*

67 Quartò. Domini Passionem, Resurrectionem, Ascensionem in cœlum & etiam Spiritus sancti aduentum in die Pentecostes, non scripta, sed tradita obseruatione anniuersaria celebranda, asseruit etiam ipsemet Augustinus: *h* licèt enim de huiusmodi mysterijs multa sanè apud sacras literas reposita sint, nihil tamen expressum de tali obseruatione annuaria.

Item explicita notitia Trinitatis reducitur ad diuinas traditiones.

i *Luc. 1.35.*

68 Quintò. Synodus Ephesina definiuit sacratissimam Virginem cognominandam Theotokon, id est, matrem Dei, tanquam ex diuina traditione talem nomenclaturam deriuatam; licèt alias scriptum sit, quod peperit filium suum primogenitum, vtique illum de quo Lucas, *i* *Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.*

69 Tandem Basilius ponit inter traditiones non scriptas explicitam notitiam Trinitatis, quia licèt in sacris literis comprehensa sit, at non ita explicitè, vt enuntiāda est, & vt in Ecclesia enunciatur, vtique in identitate, & æqualitate naturæ, potentiæ, & perfectionū diseretio, distinctioq; personarū

Si

Non obstat rationi traditionis sacræ aliqualiter contineri in scripturis: imò consonat plurimum.

70 Si igitur rationi traditionis non scriptæ neutiquam obstat aliqualiter contineri in sacris literis, consequens fit, quod licèt omnes traditiones illæ, de quibus in argumentis primi capitis, aliqualiter in scripturis præhabeantur, non propterea à ratione traditionum nondum scriptarũ extrahuntur, si tamen prout opus est perspicuitatem non habeant. Sed hæc amplius capite sequenti patebunt. Finem huic imponimus nodo, dicendo, sæpè, quæ ex traditionibus habentur posse, verosimiliter ostendi, suaderi, atque illustrari scripturis, sed supposita traditione non scripta, citra quã scripturæ non conuincerent, nec planè nos instruerent de traditionis intentu, vt patet in exemplis productis.

CAPVT VNDECIMVM.

Resp. 1. argum. primi capitis in particulari, & ostenditur scripturæ sensum verè non scriptum traditionem sæpissimè esse.

Christus D. aperuit discipulis sensum scripturarũ, qui traditus est Apostolis.

71 Rimum argumentum primi capitis deturbare nititur à gradu traditionis diuinæ legitimos scripturæ sensus, quos tamquam proprios Ecclesia, genuinosque perpetuò agnouit, coluit, & amplexata est. Quod tamen est tempus ludere, oleum & operam perdere. Primò quoniam huiusmodi sensus ab Apostolis accepti sunt, postquam ipsi eos à Christo simul, atque etiam ab Spiritu Sancto perceperunt. Lucas enim dixit, *a* quod Christus aperuit illis sensum (hoc est intellectũ & mentem) vt intelligerent scripturas: & alibi dixit ad eos à Christus ipse: *b Quando venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: & proinde sensum & intellectum scripturarum, citra quos non potest omnis salutifica veritas obtineri: non enim attingitur scripturæ veritas quandiu planè non percipitur eius sensus legitimus: & cũ vtrumque destinatum fuerit ad formandos eos idoneos noui testamenti ministros, prouidos, ac peritissimos Ecclesiæ Doctores salutari omni doctrina refertos, consequens est, huiusmodi veritatum notitiam postea per orbem explicitè disseminasse, ac palàm propoluisse, & proinde Apostolicam, siue diuinam traditionem non scriptam esse, siquidem canonicis libris talis explicatio legitima expressa, atque examussim comprehensa non est.

a *Luc.24.v.54.*
b *Ioan.16.13.*

Quo spiritu scripturæ factæ sunt, eodem propagatæ in Ecclesia.

72 Secundò quia si scriptura ipsa non aliter facta est, nec fieri potuit, quã Spiritu Sancto inspirante, vt habet Petrus, *c* multo minus intelligi nisi ipso Spiritu Sancto docente, siue per se, vt docuit Apostolos, siue per Apostolos, vt docuit Ecclesiam. Vnde Bernardus noster epistola ad fratres de monte Domini ait: *d Quo spiritu scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt.*

c *2.Pet.1.*
d *Epist. de vita solit. ante med.*

Demum quoniam explicationes eloquiorum veteris testamenti, quas in nouo inuexerunt Apostoli, vt illa *e Filius meus es tu, ego hodie genui te*: & illa *f. Dabo vobis sancta Dauid fidelia*, quas inuexit Paulus, *g* & similes; dubium non est, quin sint traditiones scriptæ, & verbum Dei scriptũ. Ergo aliæ quas verbo tantùm, non autem scripto docuerunt, erunt traditiones non scriptæ, & verbum Dei non scriptum.

e *Psal.2.5.*
f *Esai.55.*
g *Actor.13.v.33 & 34.*

Sẽsus legitimus scripturarũ continetur in litera vt ignis in silice.

73 Neque obstat quod sensus legitimus verbi contineatur in verbo. continetur enim vt nucleus in cortice, animus in corpore, & ignis sæpe sæpius in silice. Adeò enim latenter imbibitur, vt sæpè, nisi diuinitus subindicetur, & ostendatur, nullatenus patefiet. Quando autem sic ostenditur, aduersis opinationibus locus non est, benè tamen aliquo modo diuersis; siquidem vna litera plures sensus capit, vt iam vidimus.

CAPVT DVODECIMVM.

Resp. à 2. vsq; ad 8. argum. primi capitis inclusiuè, tàm in communi, quàm in particulari; & ostenditur ritus administrandi Sacramenta ex Apostolica traditione descendere.

74 D argumenta, quæ militant aduersus traditiones non scriptas Sacramentorum, resp. in communi, quòd si de substantia illorum non planè, pleneque constat apud traditiones scriptas, recurrendum omnino est ad non scriptas, siquidē ab alio quàm à Deo Sacramenta substantialiter institui non possunt, vtpotè quæ sunt signa practica, hoc est, effectiua gratiæ, quam solus Deus causare potest.

Assignatur causa obquā circa sacramenta recurrendum sit ad sacras traditionēs.

75 Item ritus, atque cæremoniæ, quibus administrantur huiusmodi Sacramenta, & exercentur, quod ex diuina institutione processerint, argumento efficacissimo est, quod Christus ipse in suis sæpè salutaribus, sacramentalibusque dictis, & factis specialissimis ritibus vsus inuenitur. Etenim *a* extēdit manum ad leprosum quemdam, vt sanaret illum, dicens, *Volo, mundare:* & alibi, *b Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspexit in cœlum benedixit, ac fregit, & dedit discipulis, discipuli autem turbis.*

a Matth 8.3.
b Matth.14.17.

Idem de cæremonijs eorundem Sacramētorum.

Marci itē 7. *c* curaturus *hominem surdum, & mutum misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciēs in cœlū ingemuit, & dixit illi epheta.* Rursum. *d Adductum ad se cæcum manu apprehendit, atque eduxit eum extra vicum & expuens in oculos eius impositis manibus suis interrogauit, si quid videret? deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre.* Et iterum, *e Cōplexans discipulos, & imponens manus suas super eos benedicebat eos.*

c Marc.7.32.
d Marc.8.22.
e Marc.10.16.

Lucæ similiter vltimo ascensurus in cœlum benedixit discipulis suis eleuatis manibus.

Tandē Ioān.9. *f* clarificaturus oculos cæci nati liniuit luto eos, & præcepit illi, *Vt iret, ac lauaret se in natatoria Syloe:* & iterū, *g* suscitaturus Lazarum infremuit spiritu & turbauit se. Et alibi, *h* daturus Spiritū sanctūinsuflauit. Quæ omnia nō rei substantiam, sed ritum conspexisse compertum est. E more igitur Christi fuit salutaria opera externis aliquibus cæremonijs, ritibusque peragere.

f Ioan.9.6.
g Cap.10.33.
h Cap.20.v.22

Cum ergo Sacramentorum actiones planè proficuæ, salutaresq; maximè sint, verisimile multū est, speciales ritus ad earū exercitia stabilisse, vel ipsū per se atque proximè Christū, vel saltē Apostolos æmulātes exēpla Christi.

Actus externi Sacramentorū insignia sunt cultus & affectus interni.

76 Maximè quod huiusmodi actus insignia & testimonia sunt cultus, & affectus interni, quibus se Deus præcipit adorari, vtpotè qui in spiritu & veritate adorandus perhibetur; *i* Item sunt viua & valida religionis incitamēta, quibus humana fragilitas ceu adminiculis fulcitur, & ad sacra mysteria tùm capessenda, tùm retinenda velut manuducitur. Vnde sunt admodum conducibiles huiusmodi ritus ad diuinum cultum promouendum, & ad disciplinam Christianam perpetuò conseruandam, & ad omnia sacra illius dignè, ac debitè peragenda: prout ex sacris literis, & sanctis Patribus profert, probatq; Canisius in suo catechismo. Qui propterea docet cæremonias quibus in administratione Sacramentorum vtimur ingenti studio retinendas esse, & obseruandas. Nam præterquam quod veluti per manus traditas, & commendatas nobis ab Apostolis & Patribus accepimus, eximium decorem Sacramentis afferunt, atque reuerentiam conciliant; quæ procul dubio ratio potuit adducere Christum, vt in peragendis aliquibus notatu dignis actionibus salutaribus, adhiberet specialissimos ritus, quos iā citauim*.

i Ioan.14.
Canis. de Sacram. in genere, cap.8.

77 Hinc patet solutio in particulari ad secundum argumentum, primi capitis,

Licēt forma baptismi sit scripta, non tamen ritus & cæremoniæ eius.

pitis: licēt enim forma substantialis baptismi expressa contineatur præællegatis in locis, non tamen solemnes ritus, atq; cæremoniæ, quibus in administratione illius vtitur Ecclesia, quas procul dubio sumit ex traditionibus nō scriptis, dicente Basilio: K *Consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, & ipsum, qui baptismum recipit, ex quibus scriptis nonne à tacita, secretaque traditione.* Et subdit: *Ipsam porro olei vnctionem quis sermo scriptus proditus docuit? iam ter mergi hominem, vnde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renunciari Sathanæ, & Angelis eius, ex qua scriptura habemus? nonne ex priuata, & archana hac traditione?*

K *Lib. de Spiritu sancto c.* 27.

Tertullianus item, l *Vt à baptismo ingrediar, aquam addituri, prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius: dehinc ter mergimur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit.* Et est notandum, quod sermo iste procedit in confirmationem doctrinæ de traditionibus diuinis, scripto canonico non traditis.

l *Lib. de corona milit. cap.* 3.

Traditio sacræ de vnctione, qua pueri in baptismo vnguntur.

78 De vnctione autem in particulari, quæ in isto Sacramento adhibetur (vt morem geramus argumento inducto) ait Clemens Romanus: m *Baptizetur vnusquisque nomine trinæ beatitudinis inuocata super se, perunctus primo oleo, per orationem sanctificato, vt ita demum per hoc consecratus percipere possit locum, cum sanctis.* Quem ritum etiam Dionysius n tradidit, tanquam ab Apostolis acceptum, & eiusdem meminit Origenes, o Amb. p & plures alij præter Basilium in prædicto testimonio: quare licēt baptismus absolutè posset cōferri sine vnctione olei, vt etiam sine proprio ministro, qui est Sacerdos ritè, ac rectè consecratus: id tamen ex dispensatione diuina, ob extremam ingruentem necessitatem, quæ caret lege, non autem ex dispensatione & institutione est: quoniam primus ad Ecclesiam ingressus, qui per baptismum cōtigit, solemni pompa & ritu peragendus est; non autem propere atque ex abrupto: vt peragitur, quando laicus, vel fœmina moribundundum baptizant infantem, vt eum ab originali crimine labeque repurgent.

m *Epist.* 1.
n *Cap.* 3. *Eccle. siast. Hierarch.*
o *Hom.* 7. *super Ezech.*
p *Lib.* 2. *de Sacr.*

Traditio de impositione manuū Episcopi.

79 Patet similiter ad argumentum tertium eiusdem confirmationis primi capitis. Etenim Sacramentum conficitur quidem cum impositione manuum, & non quarumcumq; sed Episcopalium: & non vtcumque, sed adhibita etiam sacri chrismatis inunctione: de qua August. q Concilium Aurelianense, r & Laodicenum, s Petrus Damia. t noster Isidorus, v Rabanus Maurus, x & maximè Cyprianus, y qui dicit: *Vngi quoq; necesse est cū qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, id est, vnctione esset vnctus Dei: & habere in se gratiam Christi possit.*

De impositione autem manuum Episcopalium ait Clem. Roma. z *Regeneratus per aquam post modum septiformis gratia ab Episcopo confirmetur, qui aliter perfectus Christianus esse numquam poterit, vt à Petro Apostolo accepimus.*

Vrbanus a etiā Martyr & Pontifex, vix octoginta annis Clemente posterior, in quadam Epistola ad idem inquit, *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum per baptismum accipere debent, vt planè Christiani inueniantur.* Idem astruunt Cōcilia Elibertinū, b & Aurelianense c apud Gratianum nostrum.

q *Lib.* 2. *contra literas Petiliani cap.* 104.
r *Cap.* 3.
s *Cap.* 48.
t *Serm.* 1. *in dedicat. Ecclesiæ.*
v *Lib.* 2. *de offici Eccles. ca.* 25. & 26.
x *Lib.* 1. *de institutione cleri, c.* 20
y *Lib.* 1. *Epist.* 12. *alias epist.* 69.
z *Epist.* 4. *ad Iulianum.*
a *Epist. ad vniuersos fideles.*
b *Cap.* 38.
c *Cap.* 3. *ex Gratiano de consecratione dist.* 5.

Patet præterea ad 4. argum. primi capitis, etenim ex sacris literis satis expressè colligitur exterior apud Sacerdotem de omnibus criminibus integra & plena confessio, vtpotè quod dixit Christus discipulis: d *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Constat autē quod nec remitti, nec retineri posunt congruenter peccata à iudice, nisi prius ea probè explorauerit, & cognouerit; nihilominus nuda, & clara huius vocalis confessionis institutio non ex traditione scripta, sed tantum ex non scripta habetur apud Clem. Roman. dicentem ex sententia Petri. e *Si fortè alicuius cor vel libor, vel infidelitas, vel aliquod malum irrepserit, non erubescat ei, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc, huic qui præest, vt ab ipso, qui verbi Dñi curam habet, curetur, quo possit pœnas æternas effugere, & ad perpetua vitæ præmia peruenire.*

d *Ioan.* 20. 23
e 1. *Epist. ordinationis suæ.*

Con-

Consensus præterea totius concurrentis Ecclesiæ à Christo vsque ad nos huiusmodi traditionis stabilitatem demonstrat, prout scripta ferê omnium Ecclesiasticorum scriptorum, atque monumenta testantur: maximê Dionysij, *f* Irenei, *g* Tobiæ Papæ, *h* Pontiani Papæ, *i* Tertulliani, *k* Cypriani, *l* Basilij, *m* Augustini, *n* & aliorum, quorum nomina compendij gratia non refero. Neque obstat quod institutum hoc graue sit, iugum autem Christi suaue, quoniam instituta Euangelica non ideò leuia sunt, quia non grauia, aut ardua, siquidem scriptum est, *Quod per multos labores oportet nos intrare regnum Dei*: Sed quia multis gratiarum subsidijs munita & subleuata habentur, vt monent interpretes super illud Matthæi.

Patet similiter ad quintum argumentum, quia licet potestas collata Apostolis, atque successoribus eorum; supra corpus Christi mysticum, sufficienter colligatur ex præallegato eloquio Matthæi, *o* vt collegerunt omnes sancti, maximè Cyprianus, *p* & Alexander I. *q* & Fabianus Pontifex, *r* Athanasius, *s* & alij: atque ex illo ibidem inducto, *t* vt eduxit Ambrosius: *v* item, 81
& potestas supra Corpus Christi naturale, ex illo Lucæ, *x hoc facite in meam commemorationem*: tamen ex scripturis non habetur distinctio ordinis in Episcopos, & Sacerdotes: habetur nihilominus ex diuo Petro apud Clementẽ, *y* & Anterium *z* Pontificem, & apud Ignatium *a* Apostolorum discipulum, & similiter apud Anacletum *b* Martyrem, & Pontificem dicentem, *Sacerdotum ordo bipartitus est, Episcopi Apostolorum locum tenent, Presbyteri autem 70. discipulorum*. Ritus item ordinationis Episcoporum, & Sacerdotum non habetur in sacris literis, benè tamẽ in traditionibus nõ scriptis apud Anacletum, Anicetum, Cyprianum, *c* & alios. Ritus similiter alij tantùm ex traditione sunt, vt ostendunt, qui de Sacramento Ordinis disputationes instituerunt.

Distinctio Ordinis Episcopalis & Sacerdotalis pẽdet à sacra traditione.

Patet rursum ad sextũ argumentum, quoniam licet aliqua ex maximê substantialibus Sacramento Eucharistiæ intra sacras literas sint: plura tamen ex illis extant apud traditiones non scriptas: sacrificium hoc non tantùm pro viuis, sed etiam pro defunctis offerendum, quod in consecratione Sacerdotum exprimitur. Ita enim profertur: *Accipe potestatem offerendi, tùm pro viuis, quàm pro defunctis*. Vtrisque enim prodest, vt habemus apud Clementẽ *d* Ireneum, *e* Chrysostomum, *f* Damascenum, *g* & alios sacrificium Missæ, his, vel illis ritibus peragendũ: de quibus tamen non scripturę, sed Apostoli in suis Canonibus, & Clemens Rom. Alia item quæ in materia de Eucharistia latê discutiuntur, copiosê habentur apud D. Thom. 3. p. quæst. 8; . art. 3. 82

Traditiones de sacrificio altaris.

Patet quoque ad septimum argumentum 1. cap. Verba enim illa licet multum valeant ad tuendam communionem laicorum sub altera tantùm specie, non tamen ad infalibiliter colligendam: quia propositiones affirmatiuè tantùm referre solent causas partiales effectuum, non verô totales, atque sufficiẽtes. Vt cũ dicitur, *b Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, id est, tã fides, quàm Baptismus influunt ad salutem; partialiter tamen, non autem complete, quia præter hoc in adultis prærequiruntur opera, secundùm quæ vnusquisque tandem accipit.

Patet denique ad octauum argumentum 1. cap. Sacramentum enim Extremæ vnctionis vere à Marco institutum est, vbi de Christi discipulis ait: *i Vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant*. A Iacobo autem promulgatum, & mandatum: *K vbi infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini. & oratio fidei saluabit infirmum, & aleuiabit eum Dominus, etsi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quali autem oleo inungendus sit vtique benedictione Episcopali consecrato, apud Clementem Roman. Bedam, *m* Concil. Florent. *n* Quibus in partibus inunctio peragenda sit: aut etiam sub qua forma verborum; scriptura non docet, docet tamen traditio Apostolica perpetuò Ecclesiæ vsu corroborata. 83

Traditiones circa res Sacramenti Extremævnctionis.

Quatuor supersunt argumenta dirimenda, quorum primum est de igne Purgatorij, secundum autem de suffragijs defunctorum, de quibus nulli dubium 84

Suffragia defũctorum.

f Epist. ad Demophil.
g Lib. 1. c. 9. & lib. 3. c. 4.
h In 2. Epist. ad Oriẽt. Ecclesiam
i In 1. Epist. de Sacerdotibus subleuandis.
K Lib. 1. de pœnitentia.
l Lib. 5. de lapsis, & Epist. 10.
m Quæst. 188. in regulis Brebi. & q. 229. & Epis. 3. ad Emphilochium.
n Hom. 8. in lib. 5. homi. & Epist. 9. & 10. & 16. & lib. 2. de visitat. infir. cap. 3.
o Matth. 18.
p Vbi supra.
q Epis. 2. ad Egiptios.
r Epist. ad omnes Christianos.
s Serm. sup. illud Marci vlt. euntes &c.
v Ioan. 20. lib. 1. pœnitentiæ.
x Luc. 22. 19.
y Clem. Rom. 1. Epist.
z Epist. ad Epis.
a Epist. 2.
b Epist. 3. Cypr.
c Epist. 4. & 6.
d Epist. 3.
e Lib. 4. c. 32.
f Hom. 3. ad Philip. & 69. ad Popul.
g In serm. de pœnit. Cano. 3. & 3. Conc. Apos.
h Marc. vlt.
i Marc. 6. 13.
k Iac. c. 5. 14.
l Lib. 8. cõs. c. 35
m In c. 5. Epist. Iacobi.
n In instit. herm.

bium, quin ex præallegatis elogijs ſatis, ac ſuper conſtare non poſsit. Conſtat nihilominus ex perpetua Eccleſiæ traditione, de qua Auguſtinus ante mille ducentos annos ſic teſtatum reliquit: o *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etiamſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ (quæ in hac conſuetudine claret) authoritas: vbi in precibus Sacerdotum, quæ* Domino Deo *ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.*

Alibi etiam ſcripſit: p *Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro defunctorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm peccata eorum meruerunt: hoc enim à patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia.* Quid clàrius? quid illuſtrius? Auguſtino præterea antiquiores id ipſum præmiſerunt, vtique Cyprianus, q Clemens Rom. r & Orige. ſ Chryſoſt. t ij enim palàm ortantur, vt mortuos fideles precibus noſtris iuuemus. *Non enim temere* (ait Chryſoſt.) *ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in tremendis myſterijs commemoratio agatur defunctorum. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Hæc Chriſoſt.

Ignis Purgatorius.

85 Ex his planè illicitur, fideles qui peccatorum ſuorum pœnitentiam in hác vita perfectàm non perſtiterunt, in alia meritas pœnas dare: & proinde eſſe purgationis locum præfinitum: ſiquidem coinquinatum nihil in illam ingreſſurus eſt beatorũ ciuitatem: x has autem pœnas precibus atque oblationibus fidelium minui, leuari, àut pœnitus tolli.

Veneratio reliquiarum & ſanctorum.

86 Duo item alia argumenta de veneratione ſanctorum, reliquiarum, & baſilicarum illorum nullius ſunt contra noſtrum inſtitutum momenti: iuuant enim elogia illa ad iuuandam prædictam venerationem; non verò ad oſtendendam: oſtenditur autem atque demõſtratur apertiſsima traditione, de qua Clemẽs Rom. y inquit. *Igitur in Deo, qui in Deo viuunt, nec reliquiæ, ſine honore manent: nam Heliſeus Propheta poſt diſceſſum à vita mortuum, quendã excitauit interfectum à pyratis Syriæ;* z *Ioſeph cõplexus eſt Iacob poſt mortem, cùm iaceret in lectulo,* a *& Moyſes, ac Ieſus Naue Ioſephi reliquias ſecum duxerunt,* b *quod minimè putauerunt piaculum.* Dionyſius item Areopag. agens de obſequijs Sanctorum, ſubdit: c *Peractis his, Pontifex condit in loculo digniſsimo cum alijs ſui ordinis corpora ſacra: ſi enim in anima, & corpore vitam ſanctam, qui defunctus eſt, vixit, honorabile erit cum ſancta anima, & quod ſacris ſudoribus cum illa conuerterit corpus.*

Authores apud quos variæ traditiones referuntur

87 De his plura plures, ſiue in communi, ſiue in particulari: præſertim idem, qui ſupra Dionyſius, d Abdias, e Babylonius, Simeon Metafraſt. f Euſebius Cæſarien. g Gregor. i Niſſen. h Nicephorus i Calixtus Baſilius. k Hierol. l Chryſ. m Ambroſ. n Concilium Grange. o Concil. Nicenũ, p & tandem Concil. Trident. q

Plures aliæ numerum, ſummamque quantumuis maximam excedentes traditiones non ſcriptæ ſuperſunt. Siquidem legitimus ſenſus verborũ ſacræ paginæ ex huiuſmodi traditionibus eſt. Quare cum in promptu ſunt vniuerſæ traditiones non ſcriptæ, vti ſunt, ac debent eſſe Eccleſiæ, in promptu etiam erit vniuerſas de Religione controuerſias dirimere: quoniam omnia cognitu neceſſaria ex his, quæ reuelata ſunt adæquatè comprehenduntur, vel in exploratione legitima verborum ſacræ paginæ, & in perfecta notitia Apoſtolicarum traditionum, quæ ſcripto mandata non ſunt. Habent tamen rationem diuini oraculi, ac verbi.

o *In lib. de cura pro mortuis gerẽda*
p *Idem* Aug. *ſer. 34. de verbis Apoſt.*
q Epiſt. 52. & 56
r *De* Eccleſ. Hierar. p. 3. c. 7.
ſ Epiſ. 1. & lib. 1 Apoſtolic. conſt. c. 30.
t *Homil. 12. & 13 in Hieremiam.*
v *Ho. 3. in* Epiſt. *Philip. & 41. in 1. Epiſtolam ad Corint. & 69. ad popul.*
x *Apocal. 21.*
y *Lib. 6. conſtit. Apoſt. c. 30.*
z 4. *Reg. 13.*
a *Gen. 50.*
b Exod. 13.
c De Eccleſ. *Hierar. p. 3. c. 7.*
d *Cap. 3. de diui. nom.*
e *Lib. 1. certami. Apoſtol.*
f *In vita* S. Ioan. *Euang.*
g *Lib. 4 hiſ. cap. 5*
h *Orat. in ſant. Theod.*
i *Lib. 7. hiſt. c. 44*
K *Orat. in beatu Lulit.*
l *Contr. vigilan. & epiſt. 53. ad Ripar. & in c. 65 Iſaiæ.*
m *Ser. in Lubentinum, & de vita S. Babel. Mar. & in ſer. de catena Petri.*
n In *Epiſ. 8c. & ſer. 91. de S. Geruas. & Pro. & ſer. 93. in natal. ſãct. Nacarij Celſi & Panta.*
o *In proœmi.*
p Actio. 7.
q Seſ. 25.

TA.

INDEX RERVM NOTATV dignarum in hoc de traditionibus volumine, vbi folium designabitur sic, fol. pagina sic p. principium, medium, & finis paginæ, sic p.m.f.

A

B.

C.

¶¶¶¶ 2 Libri

M.

O.

P.

Pascha

Sen-

Finis.



INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE EX VOLVMINE DE Traditionibus.

¶¶¶¶ *Missus*

FINIS.